CORPUS SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM

EDITUM CONSILIO

UNIVERSITATIS CATHOLICAE AMERICAE

ET

UNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS

SCRIPTORES SYRI

SERIES TERTIA

TOMUS III


VERSIO

LOVANII MDCCCCXXXVI

IOHANNIS EPHESINI
HISTORIAE ECCLESIASTICAE
PARS TERTIA

INTERPRETATUS EST

E. W. BROOKS



LOVANII

EX OFFICINA ORIENTALI ET SCIENTIFICA

MDCCCCXXXVI

PRAEFATIO.

I. Iohannes Ephesi vel Asiae, ut vulgo vocatur, anno circ. 507 in Ingilene natus est, et, postquam anno circ. 511 in monasterio Maronis collocatus est, anno circ. 522 ad monasterium Iohannis Urṭāyā migravit, cuius monachi Amida anno 521 expulsi erant. Eis anno 530 redire permissum est, sed Iohannes ab anno 532 multum tempus itineribus impenderat, et anno 540 Constantinopoli consedit, qua anno 542 a Iustiniano ad paganos in Asia occidentali convertendos quamvis monophysita selectus est. Unde, cum Iacobus Burd'ānā episcopos monophysitas consecraret, episcopus Ephesi anno probabiliter 558 factus est; sed Ephesi numquam habitasse videtur, et Constantinopoli domicilium semper retinebat, qua post mortem Theodosii Alexandriae (566) ecclesiam Monophysitarum, ut videtur, rexit (V, I; cf. IV, XLV, XLVI).[1] Ibi in villa habitabat quae ei a Callinico patricio data erat et ab eo in monasterium conversa (II, XLI); sed anno 571 Iustinus clericos monophysitas in urbe habitantes in custodias coniecit, et unio tandem minis et promissis effecta est, sed mox dissoluta (I, V-XXV). Hoc tempore villa a Iohanne patriarcha abrepta est (II, XLI); et, postquam annum in hospitio custoditus est, ad insulam relegatus est, unde post XXVIII menses ad urbem reductus est, ubi tres annos[2] in custodiis variis includebatur usque ad mortem patriarchae (577) (II, VII). Dum in insula custoditur (572-4), *Defensionem ad Synodum Orientalem* de unione scripsisse videtur (II, VI init.), in qua miserias suas narravit. Haec non exstat, sed, cum Michaelis narratio de his rebus (MICH., II, p. 300-304) a nostra valde differat (vide II, VII), eum *Defensione* usum esse credo. Paulo post iterum comprehensus est, donec villam quae abrepta erat Eutychio patriarchae

[1] De parte priore vitae eius, quae nos hic minus contingit, in praefatione ad *Vitas Beatorum Orientalium* (*Patrol. Or.*, tom. XVII) fusius tractavi. — [2] In versione (p. 47, l. 2) lapsu infelici 'menses' scripsi.

legaliter concessit (II, XLI), sed fine anni 578 cum aliis in cancello inclusus est, et postea, ut videtur, urbe expulsus (III, XV)[1]; mense autem februario anni 580 Constantinopoli erat (IV, XXXIX, XL). Res recentissimae ab eo narratae anni 585[2] sunt, quo anno rursus comprehensus esse videtur et Chalcedone inclusus, qua post annum mortuus est (p. 261).

II. Duo magna opera conscripsit, *Vitas Beatorum Orientalium*, quas annis 566-8 scribebat[3], et *Historiam Ecclesiasticam* in tribus partibus, ad quam se ex eo tempore applicabat. Haec, ut ipse dicit, a Iulio Caesare incepit (I, III), sed usque ad Constantinum catalogus tantum imperatorum fuisse videtur, unde Michael (II, p. 355) eam a Constantino incipere facit. Idem vero alibi (II, p. 28) eam anno 449 incipere dicit, unde partem II eo anno incepisse colligo. Pars III, quam nunc verto, anno 571 incipit (I, III). Partes I et II perierunt, paucis fragmentis exceptis, de quibus vide in hac serie tom. II p. 402 et seq., sed partis II maior pars a Chronico Dionysii dicto (ed. Chabot in hac serie tom. II) et a Michaele restitui potest. Partis III, quae in sex libros divisa est, non multum desideratur. Initium, quod exordium tantum fuisse videtur, deest, et liber I in medio cap. III incipit, et a medio cap. V ad medium cap. IX lacuna est. In libro III capita LVI erant, sed nunc in cap. XLIII desinit. Liber IV in medio cap. IV incipit, et a medio cap. XXII ad medium cap. XXX lacuna est. In libro VI capita XLIX erant, sed in cap. XXXVII nunc desinit. Quae desunt a Michaele et raro a *Chron. 1234* (ed. Chabot, in hac serie tom. XIV) partim supplere potui. Quin liber VI ultimus fuerit, quanquam nullibi dicitur, dubitari non potest[4]. Libro unicuique index capitum praepositus erat, sed indices errores ridiculos habent, qui auctori adscribi non possunt, sed, quia ad argumenta capitum perditorum utilissimi sunt, eos hic transcripsi.

In libris I - III res quae Constantinopoli usque ad annum 582 acciderunt praecipue tractat cum excursibus multis, in

[1] Rem eandem hic et in II, XLI narrari, ut putat Dyakonov (p. 114, n. 181), vix credam. — [2] Ioh. annis Seleucidarum fere utitur, sed, ut a III, VI patet, annus cum anno indictionis mense septembri incipit. Brevitatis causa a. Chr. proximum hic fere do. — [3] *Patrol. Or.*, tom. XVII-XIX. — [4] In partibus I et II libri XII erant (p. 1).

libro IV conversionem Nobadum et Alodaeorum et schisma alexandrinum anni 575, in libro V schisma Tritheitarum et principium regni Mauricii cum duobus capitibus (XVI, XVII) parum connexis, in libro VI bella. Liber tempore persecutionis, cum auctor saepe in custodia aut in exsilio esset, scriptus est, unde capita saepe, ut ipse dicit (II, L; V, XIII), sine ordine disposita sunt, itaque ad capita sequentia ut antecedentia nonnumquam refert (in I, XIV ad II, XLII, et in II, LII ad III, XIX), immo ad res quae in parte exstante non sunt quasque in partibus perditis codicis locare difficile est (p. 81, n. 7; p. 144, n. 2; p. 252, n. 4; p. 258, n. 8). Saepe etiam eadem bis narrantur (I, XIV, II, XLII; I, XXVII, III, XII; II, XXXV, III, XVIII; II, XXXVI, LI; III, XIII, XXVI; IV, XXXIII, LVIII; VI, XIV, XXVII). Denique in IV, XIV et XV I, XIX-XXIV ut librum II citat. Opus variis temporibus scriptum est, quae nonnunquam aut diserte dantur aut computari possunt. II, XV enim se anno 577 aut paulo post scripsisse dicit, I, XLI, quocum XL et XLII coniungenda esse videntur, et III, XXII anno 581[1], VI, XXV anno 584, et IV, LXI anno 585; et IV, XLVII anno 581 scriptum esse videtur, VI, XXIV anno 582, IV, XI anno 583, et V, XXIII et VI, XXV et XLIV (p. 209) anno 585[2].

Auctor se de eis tantum rebus scribere quas ipse viderat profitetur (II, XVIII); sed non hic solum, ut ipse agnoscit, sed in multis locis ea narrat quae vidisse non potuit, et subinde viros et documenta recitat, de quibus facta cognovisse potuit, Iulianum (IV, VII), legatum regis Nobadum (IV, VIII), legatos qui a Perside redierunt (IV, XXXV), legatos qui a Turcis redierunt (VI, XXIII), interpretes Romanorum et Persarum (VI, IX), Beniamin monachum (VI, XIX), epistulam mandatoriam Theodori Philarum (IV, IX), epistulam encyclicam Petri Alexandriae (IV, XII), epistulam Longini (IV, XIV), epistulam Iacobi ad auctorem (IV, XV), libellum Iacobi ad Petrum (IV, XVIII), epistulas Orientalium ad auctorem (IV,

[1] Dyakonov (p. 317, n. 72) voces 'in praesens' de tempore rerum narratarum (cf. IV, XXXVIII) intelligit, et haec usque ad mortem Tiberii (13 Aug. 582) scripta esse posse putat; sed hunc sensum hic ad contextum accommodare non possum. — [2] Dyakonov (p. 318-324) multo minutius de temporibus scribendi disserit, sed haec mihi incerta videntur.

XLV, LXI), epistulas Theodori ad auctorem (IV, XLVIII, LV), et epistulas de Alodaeis (IV, L, LII, LIII), quarum magna pars ipsis verbis citatur.

Mira incuria scribit, et constructio saepe in media clausula mutatur. Haec quantum potui in versione reddidi. Opus verbis graecis scatet. Qua nomina uncialibus scripsi, vocalia incerta sunt.

III. Bibliographia. — I. P. N. LAND, *Joannes bischof von Ephesos der erste syrische Kirchenhistoriker*. Lugduni Batavorum, 1856. In hoc libro sunt versiones germanicae nostri textus, I, XV, (vers., p. 10, l. 4-9) = LAND, p. 113; I, XXIV (p. 23, l. ult.) = L., p. 118; II, L = L., p. 81, 82; III, IX (p. 99, l. 26-30) = L., p. 81; III, XXII (p. 110, l. 25-32) = L., p. 126; IV, XIII p. 147, l. 23-28) = L., p. 79; IV LII, LIII (epistulae) = L., p. 181-183, 188-191, et tituli capitum omnes (L., p. 84-103).

R. PAYNE SMITH, *The third part of the Ecclesiastical History of John bishop of Ephesus*. Oxonii, 1860. Versio anglica cum notis. In hac versione errores rari sunt, sed interpres stylo litterario scribit qui a stylo auctoris valde differt, et difficultates eluduntur. Saepe etiam sua explicandi causa addit, qua nihil est quod haec ab auctoris opere distinguat. Capita non ordine codicis dantur, sed ordine qui interpreti melior videtur.

I. M. SCHÖNFELDER, *Die Kirchengeschichte des Johannes von Ephesus*. Monachis, 1862. Versio germanica cum notis paucis. Interpres versionem anglicam cognovit, sed, ut ipse (p. XV) dicit, ea raro usus est, et versio eius, quamvis ea magis ad litteram facta, erroribus scatet. Hic etiam difficultates eluduntur.

I. P. N. LAND, *De Gedenkschriften van een Monophysit uit de zesde eeuw* (*K. Akad. d. Wetenschappen, Afd. Letterkunde, derde Reeks*, Dl. 5, p. 237). Amstelodami, 1888.

I. MARQUART, *Osteuropäische und ostasiatische Streifzüge*. Lipsiae, 1904. In hoc libro, p. 480 seqq., sunt versiones germanicae nostri textus (vers., p. 257, l. 1 — p. 259, l. 6 et p. 259, l. 20 — p. 260, ult.) cum commentariis.

A. DYAKONOV, *Ioann Efesskiy*. Petroburgi, 1908. Discussio critica admirabilis vitae et operum Iohannis, cui multum debeo. Hic sunt versiones russicae nostri textus, I, III (vers.,

p. 1, l. 23-25) = Dyak., p. 358; I, iv (p. 2, l. 27-33, p. 3, l. 12, 13) = D., p. 306; I, xii tit.; II, xxv (p. 64, l. 9-11) = D., p. 358; II, l = D., p. 315, 316; VI, xxv = D., p. 350.

I. B. Chabot, *Chronique de Michel le syrien*. Parisiis, 1899-1924. In praefatione, p. xxviii-xxxi disseritur de usu chronici Iohannis a Michaele.

Th. Hermann, *Patriarch Paul von Antiochia und das alexandrinische Schisma vom Jahre 575*. Narratio critica rerum in libro IV narratarum ope documentorum quae a Chabot in ser. II tom. XXXVII edita sunt. (*Zeitschr. fur die neutest. Wissensch. und die Kunde der älteren Kirche*, Bd. XXVII). 1928.

E. W. Brooks, *The patriarch Paul of Antioch and the Alexandrine schism of 575* (*Byz. Zeitschr.*, Bd. XXX, p. 468). 1930. Discussio eiusdem rei scripta cum libellus Hermann auctori ignotus esset.

PARS TERTIA.

LIBER PRIMUS.

[CAPUT III] [1] ....

.... Dei excitata sunt, tot schis-
5 mata videlicet et contentiones et scissurae, et cum his persecutiones crebas et acerbas, et custodias duras et vincula vidimus, quod haec etiam omnia ex ipsis cladibus sunt finis, ipse enim Redemptor noster iam tunc proclamabat et dicebat: « Paenitentiam agite, adpropinquavit in vos regnum caeli »[2]. Necnon de-
10 monstrationes lucidas dat, clare dicens: « Cum haec omnia facta esse videritis, scitote quod ad ianuam venit » [3]. Necnon etiam de eis quae apud nos nunc perpetrantur discipulos suos antea docuit et certiores fecit, non catervam illam magnam tantum apostolatus, sed omnes etiam discipulos qui post eos et usque
15 hodie *sunt*, ita dicens: « Cavete ab hominibus. Tradent enim vos in iudicia, et [in] synagogis suis flagellabunt vos; et ante praesides et reges vos propter me adducent, in testimonium eis et gentibus. Quando autem tradent vos, nolite curare quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis illa hora quod loquemini.
20 Non enim vos loquimini, sed Spiritus Patris vestri in vobis loquitur. Tradet autem frater fratrem suum in mortem, et pater filium suum, et insurgent filii in patres suos, et eos morte afficient; et eritis omnibus propter nomen meum exosi » [4]. Haec iam clare videmus nunc etiam in omnes ecclesiae filios hoc
25 tempore advenisse et expleta esse, dum bella haec et mala non ab * externis et paganis toleramus, sed ab eis qui et ipsi etiam christiani existimantur, et ad Christianos sodales suos paganismi opera libere sine religionis frenis et sine misericordia faciunt, crudeliter ac saeviter sine impedimento. * p. 4.

30 Propter haec omnia igitur, post opus primum, ⌜in quo [5] in duabus partibus historias ecclesiae quoad *comprehendi* possunt in libris duodecim, qui omnibus capitibus diversis cognoscuntur, labore multo temporis longinqui antea comprehendimus, et a

[1] Initium deest. — [2] MATTH., IV, 17. — [3] MATTH., XXIV, 33. — [4] MATTH., X, 17-20. — [5] Ms. om.

temporibus Iulii Caesaris et ceterorum regum antiquorum Romanorum incepimus, et deinde historias ecclesiasticas ordine collegimus et disposuimus usque ad annum sextum regni Iustini huius secundi filii sororis Iustiniani, itemque de eiusdem regis Iustini propter unionem ecclesiae cura ac studio in libris nostris antecedentibus notitiam dedimus, ab initio regni et usque ad annum sextum eius, hoc sedulo ac studiose etiam testati, dum veritati in narrationibus nostris adhaeremus, nunc iterum, quoniam procellam[1] atrocem violentia undarum suarum crassarum et multarum irascentem per peccata nostra in navem integram totius ecclesiae orthodoxorum subito vehementer et acriter surrexisse vidimus, propter hoc et nos etiam excitati sumus ut ad conscriptionem commentariorum etsi pauca ex eis[2] adducamus, quamquam tempus ab omnibus partibus nos valde reprimit et impedit, et obstat quominus narrationem historiarum ecclesiasticarum etsi breviter quoad *fieri* potest edamus, quae nunc secundo[3] perpetrantur, quamvis ex eis parvum de multo in commentariis ponamus, et in eodem porro opere tertio etiam proferamus in cognitionem eorum qui post nos *erunt*, quamquam [me] non latuit *mundi tempora iam peracta ac completa esse, ut omnibus ceteris etiam qui post nos *erunt* clare et accurate notae fiant, etsi eo tempore exiguo quod huic mundo turbido restat hoc factum est, per commentarios exiguos quos[4] conscripsimus, in cognitionem eorum qui post nos *erunt*.

*p. 5.

Caput IV, e prophetarum scriptis de eodem tribulationis argumento quod in ecclesia Dei hoc tempore accidit. — Initio igitur nunc historiarum huius libri voces lugubres Lamentationum Ieremiae prophetae maesti congruebant, quas olim de Hierosolymis itemque de populo eorum, qui in devastationem incidit, lamentabatur et flebat, ut ita et nos etiam nunc de eis quae ob causam iniquitatum nostrarum et peccatorum multorum hoc tempore in ecclesia Dei acciderunt lamentemur et fleamus, ut praeterea illustris quoque inter prophetas Isaias et ipse etiam gutture suo clamet nec desinat, et vocem suam ut tubam

[1] χειμών. — [2] Sic. — [3] Persecutione renovata (?). — [4] Ms. om.

levet, castigatione hac dura visa quae Dei ecclesiam consecuta est, itemque addat adhuc et iteret dicens: « Omne caput dolori, et omne cor tristitiae. A planta pedis et usque ad verticem non est in eo locus firmus, sed vulnera et ulcera et plagae tumorum,
5 non ad ligandum nec ad sanandum, nec etiam ad molliendum oleo », necnon qui adflictione iterat et dicit: « Terra luxit et in lamentatione sedit, orbis luxit et sedit et lamentatus est. Luxit altitudo terrae; et terra habitatoribus suis adsimilata est »[1]. Sanctos igitur huiusmodi deceret nobiscum lugubriter
10 adfligi, ob iram hanc magnam quae ob causam peccatorum nostrorum media tranquillitate in * ecclesiam Dei missa est, ut in Hierosolyma olim, ob calamitates terribiles quae subito strepuerunt et totum populum fidelium agitaverunt et turbaverunt, qui in pace ac quiete iam a temporibus longinquis in urbe regia
15 et in omnibus viciniis eius habitabant et delectabantur, usque ad annum sextum regni victoris Iustini, et e media tranquillitate ictus irae omnes congregationes ecclesiae orthodoxorum[2] percussit et deiecit easque omni vento dissipavit, de quibus rebus tempus mihi brevius est quam ut scribam et definiam. * p. 6.

20 Caput V, de adflictione amara fugae[3] subitaneae omnium congregationum ecclesiae fidelium quae in urbe regia *erant*. — Cum enim tempora longa supra quadraginta annos omnes congregationes totius ecclesiae orthodoxorum[2] in hac magna urbe regia et in omnibus viciniis eius quiete ac pace habitassent, et
25 omnes congregationes fidelium fiducia[4] multa large et libere et secure ubique congregatae essent, et omnia mysteria et *omnes* ritus ecclesiae perfecissent, e media quiete diebus sanctis ieiunii quadragesimae, sabbato dominicam hosannarum antecedente, propter studium et malitiam vehementem eius qui ecclesiam ur-
30 bis regiae tenebat, Iohannis[5] videlicet qui a Sirmin pago Syriae, et multas eius in totam factionem orthodoxorum calumnias, victor Iustinus ira aspera excitatus minatione stomachi magni omnia conventicula omnium fidelium claudi iussit, et omnia altaria quae in omnibus *erant* everti, et omnes * sacerdotes et
35 summos sacerdotes eorum adprehendi et in carceres inici, et * p. 7.

[1] Is., I, 5, 6; XXIV, 4, 5. — [2] ὀρθόδοξοι. — [3] Coniec. Smith ‘eversionis’. — [4] παῤῥησία. — [5] Marg., alia manu: « Vae tibi ».

omnes qui in eis congregabantur deturbari et expelli, ne rursus congregarentur, et cetera talia, quae ex ira magna iussa et ordinata sunt. Et, quamquam antea usque ad id tempus tranquille et serene in tota[1] [urbe habitabant, ex eo tempore ut *ita* dicam, sicut procella[2] vehemens et pluvia in densitate nu- 5 bium obscurarum grandinem destillantium, ita in navem tranquillam ecclesiae sanctae orthodoxorum[3] procella[2] coorta est et surrexit, et in custodias diversas iniecti sunt, sunt qui in carceribus cum homicidis, et alii qui in praetoriis, et alii in diaconico[4], et alii porro in custodiis quae sub episcopio, et alii in 10 exsiliis[5] aliis ecclesiarum, et multi fugerunt et in omnibus regionibus dissipati sunt.

(Fragmenta capitum VI-VIII)[6] ....
et, quod durius est, ut summos sacerdotes timoratos iterum ordinarent, itemque postularent ut libellum[7] eis darent (et quae 15 Christiani in custodiis passi sint sermo dicere non sufficit); et quod durius est, ut neminem ex amicis episcoporum qui inclusi erant ad eos ingredi sinerent, vel omnino cum eis loqui. Et cibus vitam sustinens eis dabatur, et eis qui in monasteriis
*p. 8. * inclusi erant, si igitur[8] etiam monasteria vocari debent, magis 20 vexationes imponebant, iracunde eos intuentes, dum purgamenta lancium suarum eis proiciunt, et pro vino acetum quoddam, vel vinum vapidum, vel crassamentum[9] putidum de faece turbida ne vivant eis ad bibendum dant.

[Caput IX] Senex Stephanus presbyter, vir zelo divino or- 25 natus, cum eum inclusissent, eos palam multum anathematizavit, et stomacho suo eum praefecto[10] tradiderunt. Et dixit praefecto[10]: « Impie male, cum] eis qui me ad te miserunt, quare ut christianus sedes, et Dei servos pagane iudicas? Inter homines viventes non es, nisi me senem debilem statim combures, et me 30 assatum comedes[11]. Quamobrem, cum haec audivisset praefec-

[1] Sex folia desunt. Duas voces seqq. ex initio capitis, cetera uncis inclusa e Michaele Syro, t. II, p. 292, supplevi. — [2] χειμών. — [3] ὀρθόδοξοι. Et similiter deinceps. Cf. p. 12, 27, 38. — [4] Sc. vestiario ecclesiae. Legendum fortasse « diaconicis ». — [5] ἐξορίας. — [6] Haec sine intevallo sequuntur, sed periodus duplex finem capitis indicare videtur (vide textum). — [7] λίβελλον. — [8] ἄρα. — [9] Ita corr. Brockelmann. Lectio impressa sensu caret. — [10] ὕπαρχος. — [11] Cf. p. 42, 49.

tus[1], gravitatem senectutis eius veritus est et ipso iubente eum e praesentia eius amoverunt et ad episcopum adduxerunt. Is autem insania[2] sua eum misit *et* Heracliae, *quae est* urbs Thraciae, inclusit; et ibi fuit tempus annorum duorum, cum 5 nemo ex amicis eius eum videre sineretur. Quamobrem, cum vestis mutatoria ei non data esset, et pediculis innumeris scateret, discipulorum eius unus egressus vestem mutatoriam ei protulit, nec ei amplius permissum est ut etiam per alium ei daretur. Et postea aegrotavit ut moreretur. Et anathematizavit si 10 futurum esset ut a Synoditis sepeliretur, vel si quisquam eorum super eo officium recitaturus esset vel preces facturus. Itaque [milites] manus romanorum[3] orthodoxi qui adfuerunt [ipsi][4] eum eduxerunt *et* * sepeliverunt cum cereis et odoribus multis, *p. 9. dum ut martyrem magnum eum involvunt et corpus eius pompa 15 ferunt. Et ob hominum talium persecutionem vituperabantur et conviciis adficiebantur. Fidelium vero nonnulli qui in urbe *erant* exire et sancti corpus sumere consilium ceperunt.

Caput X, de eis quae in monasteriis virorum et mulierum eadem violentia immani persecutionis acciderunt. — *Inter* mo-20 nasteria etiam virorum et mulierum quae in urbe regia sunt, et in omnibus viciniis et partibus eius, nonnulla incolis pollentia erant, et praesertim mulierum quae ab initio expulsae erant ab Antiochia, Isauria, Cilicia, Cappadocia, et ceteris regionibus, quae a Theodora regina cuius anima requiescit con-25 gregatae erant, quorum coenobiorum nonnulla numerum trecentorum fratrum superabant; haec quoque subito procella ac tempestas persecutionis consecuta est, et nubes fumida et vapor turbulentus persecutionis operuit, clericorum scilicet cum laicis et commentariensibus[5], et officialibus[6] qui cum 30 domesticis praefecti[1] urbis, qui in ea missi erant, et violentia immani monasteria circumsteterunt, et, instar catervae luporum qui ovile agnorum intrant et in id incidunt, in singula haec coenobia exitialiter insiliebant eaque intrabant, in Do-

[1] ὕπαρχος. — [2] μανία. Marg. « stomacho », quod explicatio esse videtur, non correctio. — [3] Sc. militum. — [4] E Mich., II, p. 294, supplevi. — [5] κομμενταρήσιος. — [6] ταξεώτης.

mini agnas, clericis oblationes suas tenentibus, easque trahentibus ac rapientibus, ut venirent *et* ab eis *eucharistiam* reciperent. Cunctae autem ut passeres ante accipitres fugiebant et in angulis[1] refugium petebant, ululantes et dicentes: « *Eucharistiam* a synodo Chalcedonis recipere non possumus, quae Christum Deum nostrum in duas naturas post unionem dividit, et vice Trinitatis sanctae quaternitatem docet ». Itaque per obiurgationes et trahendo ab eis ad *eucharistiam* recipiendam rapiebantur, manibus suis super capita *positis;* et lamentantes * ⌜manibus suis ducebantur[2], dum voce ululatus et planctibus et alta voce clamant ac fugiunt; itaque oblatio oribus earum vi iniciebatur, dum multa ab eis vocibus ululatuum dicuntur. Nonnullae vero se in terram pronas iaciebant, et quicunque eas ut vi *eucharistiam* reciperent postulabat anathematizabant. Itaque nonnullas subegerunt et quaecunque contra eos contendebant nec paruerunt separaverunt et traxerunt easque coenobiis earum expulerunt; et in manus officialium[3] romanorum[4] traditae sunt, a quibus distrahebantur et lacerabantur, et in urbem adducebantur, et in domos et custodias diversas distribuebantur, dum, secundum ea quae dicebantur, qualia ab equis admissariis salacibus *fiunt* in eas a multis perpetrabantur, quae ex parte nostra silentio obducantur, quoniam iudicium eorum Iudici aequitatis reservatum est, qui ipse iudicium eorum iudicabit, et ultionem eorum exiget. Et ita et hac ratione immani ac barbara in omnibus coenobiis virorum itemque mulierum perpetrabantur[5].

*p. 10. (margin) — 5, 10, 15, 20, 25 (line numbers)

Caput XI, de Iohanne urbis episcopo, et de eis quae incitatione malitiae eius perpetrabantur. — Horum igitur omnium malorum incitatur et altor et perpetrator erat Iohannes, de quo dictum est eum urbis ecclesiae caput esse; qui felle multo malitiae suae ingrediebatur et accusabat, et regem in totam factionem fidelium ira incendebat; licentia autem in eos accepta exibat, * et per eos qui ei consentiebant in omnes ordines[6] fidelium, qui ubique *erant,* venenum omne malitiae suae effun-

*p. 11. (margin) — 30 (line number)

[1] γωνία. — [2] Brockelmann « manus plaudebant, torquebant », quod e voce ܡܚܠ extrahere nequeo. — [3] ταξεώτης. — [4] Sc. militum. — [5] Sic. — [6] τάγμα.

debat, neque eos tantum qui in urbe eius et in dicione eius *erant,* sed et ad regiones alias etiam scribebat, et turbas faciebat et tumultus et persecutiones et mala excitabat, *ita* ut ipsemet exinde exiret, et per omnia monasteria virorum et
5 mulierum itemque per domos circumiret, et ut ad communionem cum eo venirent cogeret et coerceret; et qui contra eum contendebant, sive viri sive mulieres, sive monachi aut clerici aut moniales, ira atroci sine misericordia iubebat[1], et mittebat et eos omnes singillatim in monasteriis includebat, et in eos duras
10 mortis sententias decernebat. Potuit vero et ipsos reges[2] victores decipere, excitare, et instigare, ut ipsi etiam ei obtemperarent, et alter post alterum exirent et per monasteria circumirent; itaque primus ipsemet cum clericis suis ibat, et synaxes et sacramenta in monasteriis faciebat, synodum schisma-
15 ticam in eis proclamabat, et imagines suas in eis infigebat, et clericos in eis instituebat qui omni dominica et omni festo et die commemorationis oblationem offerrent; et die alio porro post eum rex ipsemet per monasteria circumibat, et post eum porro alio die et regina etiam similiter, dum dona etiam dant, et
20 monachos statuunt, qui eis paruerunt vel parebant, qui autem contendebant in exsilia[3] et in custodias angustas mittunt, vel ad tormenta in praetoriis *adhibita* sine misericordia tradunt, et ad verbera et tribulationes acerbas ac duras ira acerba furibunde dantur.

25 * Caput XII, de sacerdotio orthodoxorum quod Iohannes inconsiderate et iniuste et contra canones dissolvebat, eosque sacerdotio Synoditarum, Diphysitarum videlicet, denuo ordinabat. — Cum igitur episcopus, qui spiritu zeli repugnantiae plenus erat, et impetu ac stomacho agebatur, quomodo qui visu
30 oculorum caecatus erat, ita et hic *esset,* cum passione inimicitiae in animo occaecatus esset, ebrii instar etiam ausus, postquam multos ex orthodoxis sacerdotes omni tyrannide immani et pressura[4] subigere eosque ad communionem suam vi adducere potuit, postquam ordine sacerdotii sui ab eo *eucharistiam*
35 receperunt et accepti sunt, cum sacerdotes ab eo ut sacerdotes accepti essent, et omni ritu cum sacerdotibus eius *eucharistiam*

* p. 12.

[1] Sic. — [2] Sc. regem et reginam. — [3] ἐξορίας. — [4] ἀνάγκη.

recepissent, et cum eis in sacrario[1] ordine consedissent, et diaconi etiam similiter, cum ei quoque omnem ritum diaconatus cum *diaconis* eius perfecissent, non semel tantum et bis, sed usque ad tringinta sex vices in omnibus synaxibus festis, et postea eodem ordine sacerdotii sui cum eo ministrassent, et omnem ritum sacerdotii perfecissent, dein postea consilium immanitatis in eum ascendit, quoniam vere puer etiam adulescens erat, et, arrogantia elatus, et potentia et elatione ebrius, superbe mandavit, dicens: « Quicunque nobis ex adversariis nostris consenserunt mandamus ut, sacerdotio suo priore abrogato, sacerdotes a nobis denuo fiant »; et ita igitur sacerdotium omnium abrogavit, postquam cum eo et coram eo triginta sex vicibus sacerdotio functi sunt, eodem sacerdotio suo priore quod ab orthodoxis *acceperant;* et omnes qui cum eo commu- * p. 13. nicaverant ipse denuo creavit, * dum turbantur et agitantur et eum anathematizant eique et sacerdotio eius illicito conviciantur, et nonnullos inter clerum ipsius ecclesiae constituit, multis eorum etiam qui ei consentiebant rem illicitam et contra omnem ordinem canonicum vituperantibus, quae male ab eo et immaniter facta est; nec malum etiam ei suffecit quod ipsemet perpetravit et perfecit, sed ad regiones etiam praeterea scripsit, et episcopos adhortatus est, ut ipsi quoque eius instar et eius exemplo agerent, dum dolum et consilium fingit ne ipse solus vituperetur ac culpetur propter ea quae sine lege[2] et sine ordine ab eo perpetrata sunt, sed et alii inveniantur qui cum eo sub vituperatione et culpa includuntur.

Caput XIII, de visione nocturna quae tamquam revelatione apud beatum quendam praestantem facta est, de eis quae protinus aperte reapse perpetrata sunt. — Beato igitur cuidam praestanti de eis quae statim sine mora in ecclesia Dei reapse acciderunt visione nocturna antea revelatum est.

Vidit enim montem esse quendam magnum, in spatium multum patentem; huius autem in latere meridiano plantationem magnam esse ecclesiarum multarum, quae alia post aliam usque ad multum spatium linea aedificatae essent, et frequentes essent et pulcrae et speciosae et multae. Et, ut vidit, subito

[1] ἱερατεῖον. — [2] νόμος.

ecce advenit Iohannes episcopus urbis regiae, cum clero et populo multo comitante, et in eas violenter incurrit. et has omnes ecclesias evertere ac subruere incepit, et alteria etiam omnium evertit et subruit, donec eas perfecit; quemadmodum statim post hanc visionem, post dies paucos, hoc reapse completum est, nam * egressus omnia conventicula[1] frequentia (* p. 14.) ecclesiarum fidelium quae in ipsa urbe et in omnibus viciniis eius *erant* evertit et subruit secundum revelationem et secundum visionem quae antea revelata est, et in factum subito aperte evenit.

Caput XIV, de Paulo episcopo asiano. — Paulus igitur, de quo paulo antea etiam supra mentionem fecimus[2], de regione Cariae erat et Aphrodisiadis Cariae metropolis episcopus creatus et nominatus erat, senex sincerus et simplex. Cum is in monasterio suo tranquille sederet, ut antea indicavimus[2], misit Iohannes patriarcha, eumque comprehendit et catenis *vinctum* introduxit, et in domo episcopii sua inclusit; et cum eum acerbe coarctasset, ut ei communicaret eum subegit. Et deinde eum foras in eandem regionem misit, et ei qui in urbe erat scripsit et mandavit ut episcopatu eius abrogato eum in Antiochia urbe Cariae episcopum denuo crearet; quod etiam reapse effectum est. Et ⌜eum miserunt[3] et, cum ut putaverunt eum sacerdotio eius nudassent, deinde ut laicum eum⌝ denuo creaverunt. Itaque tum his ipsis tum etiam suis opprobrium et ludibrium factus est; et clerici eius eum « bis tinctum » vocabant.

Caput XV, de Elisaeo episcopo. — Praeterea, cum senem hunc etiam Elisaeum episcopum a monasterio in quo inclusus erat, quod vocatur *monasterium* domus Dii, arcessitum adduxisset, et eum quoque in domo episcopii sua inclusisset, et oppressione multa communioni eius se submittere * pressura[4] adegissent[5], (* p. 15.)

[1] Vox ܟܘܢܫܝܐ (congregatio) aedificium hic significare videtur. Legendum fortasse ܒܝܬ ܟ̈ (cf. p. 3). — [2] Ordine confuso ad II, xlii referre videtur. Cf. *Patr. Or.*, t. XIX, p. 158. — [3] Legendum fortasse « sacerdotium eius abrogaverunt ». — [4] ἀνάγκη. — [5] Sic.

deinde is ita etiam e manibus eius si fieri posset effugiendi consilium capiebat. Is autem eum Sardes Lydiae metropolim mittere voluit; et cum episcopatum eius abrogare et eum quoque denuo creare voluisset, is contra eum contendit, dicens: « Ego, etsi indignus sum, episcopus ab orthodoxis creatus sum, et tu me denuo prorsus non creabis. Si vero et hoc secundum ordinem esse putas, ut *episcopatum* mihi abroges et me denuo crees, ergo baptismum quo baptizatus sum primo abroga, et deinde rem secundam adgredere ». Dicit ei is dolose: « Ego pallium tantum tibi imponam ». Is autem cum prorsus non paruisset nec se submisisset nec verba eius accepisset, in eum iratus *patriarcha* misit et eum in monasterio alio quod vocatur *monasterium* domus Abraham inclusit, et sententia dura in eum decreta est. Et tempus multum ibi in tribulatione fuit; itaque in morbum severum incidit, et ut thermas adiret rogavit, et cum custodibus solutus est.

Caput XVI, de Stephano episcopo quem et ipsum quoque Iohannes episcopatu rursus abrogato denuo creare voluit.— Cum igitur Iohannes validus arroganter exaltatus esset et cunctas regulas ecclesiasticas proculcaret et violaret, ad insulam misit quae vocatur Platea [1], in quam Stephanus episcopus ab eo relegatus erat, unus ex eis qui eum paulo antea propter ordinationem [2] abrogatam fortiter reprehenderunt, in hunc [3] clericos et excubitores misit, eisque mandavit ut eum ⌈plumbatis caedi [4] *facerent donec sanguinem eructaret, nisi se communioni eorum submissurus esset. Itaque a duodecim excubitoribus ⌈plumbatis caedi [4] factus est, donec inter eos cecidit et obmutuit, et iam mortuus erat [3], *ita* ut, cum eum cecidisse et obmutuisse et usque ad mortem venisse vidissent, cucurrerint et quattuor urnulas aquae adlatas supra eum decusserint; et deinde post multum tempus vita eius in eum venit, et tamquam e mortuis vixit. Itaque communioni cum eis *accipiendae* pressura [5] se submisit, et praesertim quod fidelium nonnullos, qui ad eum

*p. 16.

[1] Theoph., A. M. 6209. — [2] χειροτονία. — [3] Sic. — [4] σφαιρισθῆναι; vide Stephanum, s. v., Brockelmann: σφυρισθῆναι (malleis caedi). — [5] ἀνάγκη.

victum eius mittebant, eius causa comprehensos et inclusos esse notum erat, et eis incidere eosque spoliare paratos esse *persecutores*. Itaque eo adsumpto urbem intraverunt, et multa inter eos acta sunt, et propter pressuras[1] cum eis communi-
5 cavit. Et postea ab eo postulabat Iohannes ut episcopatu eius abrogato eum episcopum Cypro insulae denuo crearet. Is autem, cum luctaretur cum eo et contra eum contenderet seditionem[2] fecit et clamare incepit, « Vae !, quod, si sacerdotium meum orthodoxorum abrogare vis et me denuo creare, abroga primo et bap-
10 tismum meum etiam, et me primo denuo baptiza, et deinde sacerdotium meum abrogabis, et me sacerdotem denuo creabis. Ut enim Dominus Deus vivit, nisi me denuo baptizaveris, in saecula saeculorum non accipiam ». Itaque, cum seditio[2] magna inter eos in ecclesiae facta esset, et multi congregati essent,
15 Stephanus confestim cucurrit et apud regem ingressus est, et in eum etiam turbas faciens et clamans, 'Vae', et dicens: « Christianitas periit; ecclesiae Christianorum statuta corrupta sunt; omnia statuta et *omnes* canones ecclesiae Dei confusa et conculcata et corrupta sunt. Quid est * haec impietas il- *p. 17.
20 licita, quod sacerdotium Christianorum orthodoxorum ab eis qui nunc dominantur abrogatur, et eius loco alia denuo creatur? Iam anni xx sunt e quo indignus ab orthodoxis episcopus canonice creatus sum, mandato Theodosii patriarchae Alexandriae; et nunc, cum me ipsum dedi et me vobis sub-
25 misi, hic impietate facta, ut multis etiam fecit, me quoque sacerdotio orthodoxorum abrogato suo denuo creare vult. E quibus canonibus hic hoc didicerit ostendat, aut quod canones ecclesiasticos non percepit et cognovit, aut quod cognitos superbia et arrogantia et fallacia sua proterit et conculcat. Et, si hoc
30 mandatum a te est, et haec scientia tua facit, sciant omnes. Noveris autem eum regiae maiestati tuae etiam canonum culpas ac reprehensiones inicere et te secum in transgressione legum[3] ecclesiasticarum recensere[4] studere. Et, si quidem scientia tua et mandato tuo sacerdotium abrogat, et ipse alium denuo creat,
35 iube eum ergo baptismum etiam abrogare et denuo baptizare, et deinde sacerdotes denuo creare. Canon enim etiam undevicesi-

[1] ἀνάγκη. — [2] στάσις. — [3] νόμος. — [4] Corrigendum fortasse « includere ».

mus CCCXVIII patrum de haeresi corruptrice Pauli samosateni adseclarum et ceterorum ei similium ut denuo baptizentur mandat, et deinde qui ex eis digni sint ut sacerdotes denuo fiant, et hoc propter haeresis eorum pravitatem. Nunc vero hic qua de causa ad hoc venerit, et nos sacerdotio abrogato 5 superbia sua denuo creare instituerit primo ostendat ». Quam-
* p. 18. obrem cum rex haec audivisset, et Stephanum iure * improbare et canonice in eum tumultuari deprehendisset, velut e somno profundo excitatus, ipse etiam hoc factum culpavit et repudiavit, dicens: « Revera male et illicite *factum est,* et hoc con- 10 tra omnem ecclesiae ordinem est, ut sacerdotium abrogetur et denuo fiat, et nefarium est, et omnibus ecclesiae statutis alienissimum ». Et deinde mandavit ne hoc rursus in ecclesia Dei omnino fieret. Et statim typum pragmaticum etiam fecit, ne cuiquam rursus sacerdotium abrogare audere liceret, nisi ac- 15 cidisset ut haeresibus de quibus iuberent canones[1], et, si invenirentur episcopi qui hoc facerent, depositio[2] eorum fieret, et in exsilium[3] pellerentur. Quamobrem, cum hoc factum esset, et mandatum clarum datum esse cognovisset, Iohannes et consiliarii eius id egerunt ut dono dato typus ille qui de hac *re* 20 factus erat e medio tolleretur neu rursus videretur.

Hac vero de causa inter Iohannem et Stephanum multa inimicitia fuit omnes dies eorum.

CAPUT XVII, quomodo episcopi de monasteriis et locis in quibus inclusi erant emissi et evocati sint. — Consilio igitur 25 fraudulento et mendaciae fallacis, sicut factum tandem docuit, misit Iohannes cum omnibus consiliariis eius, et episcopos qui ab eo in monasteriis et aliis locis in exsilium[3] relegati erant adduxerunt, et ut cum eis de unione colloquerentur se eos adduxisse eis praetendebant. Primum *quidem* Paulum pa- 30 triarcham a monasterio Acoemetorum arcessitum removit, et
* p. 19. in domo episcopii * sua inclusit, et ceteros alium post alium adductos apud se inclusit, Paulum videlicet et Iohannem[4] et Stephanum, et Elisaeum, et primum dolum excogitaverunt et

[1] Sic. Intellegendum « abrogarent ». — [2] καθαίρεσις. — [3] ἐξορία. — [4] Auctorem nostrum.

consuluerunt et chartam[1] quandam ad eos miserunt in qua de unione inter Cyrillum Alexandriae et Iohannem Antiochiae facta scriptum est, nuntio ad eos in custodiam eorum misso: « Necesse[2] *est* vobis, ad instar unionis quae inter Cyrillum et
5 Iohannem facta est, ipsis etiam nobiscum uniri ». Quamobrem, cum haec recepissent et inter se considerassent et calliditatem eorum irrisissent, nuntium ad eos miserunt: « Bene consuluistis; nos igitur postquam ut fecit Cyrillus fecerimus et peregerimus, et synodum Chalcedonis anathematizaverimus et ex-
10 tra ecclesiam Dei relegaverimus, sicut Cyrillus etiam Nestorium [illegible] ium, de ceteris quae inter nos et vos contigerunt vobiscum non contendemus, sed sine impedimento vobis uniemur. Quod si id quod fecit Cyrillus a nobis fieri vobis non placet, quomodo et qua ratione erga nos dolo utimini ut eius et Iohan-
15 nis unionem, quae postremo facta est, a nobis postuletis, cum quod primo fecit Cyrillus in actum non evenit? ».

Caput XVIII, de coargutione et reprehensione quam Iohannes ab ipsis episcopis quos congregavit et inclusit ob abrogationem ordinationis[3] et ordinationem novam illicitam et omni-
20 bus praescriptis ac statutis ecclesiae Dei contrariam accepit. — Post haec autem ab episcopis qui ab ipso Iohanne in domo episcopii eius inclusi erant reprehendebatur; qui, apud eum cottidie ingressi, pro fide * et de corruptione synodi Chalcedonis et de eis quae ab ea facta sunt disputaturi, eum firmiter reprehen- * p. 20.
25 dere et cum eo litigare eumque fortiter coarguere inceperunt, dum quaestionum modo *litem* contra eum movent, ei dicentes: « Ostende nobis, o *vir* magne et ecclesiae primatu praedite, e quo canone et statuto ecclesiastico episcoporum orthodoxorum sacerdotium abrogare, et sacerdotum ceterorum qui sa-
30 cerdotii sui diebus patre tuo etiam seniores erat, ut ipse eos, *sacerdotio* abrogato, denuo sacerdotio creares Diphysitarum, qui pro Trinitate occulta et sancta quaternitatem proclamant ac docent, didiceris et acceperis, et in quo statuto ecclesiastico hoc inveneris idque conceperis ut, sacerdotio orthodoxo-

[1] χάρτης. — [2] ἀνάγκη. — [3] χειροτονία.

rum verorum abrogato, pro eo aliud Synoditarum denuo crees. Propter quam causam, vel propter quam reprehensionem, et ob quam haeresim, ut in canonibus ⌜mandatum est[1], hos cepisti et sacerdotium eorum abrogasti, qui ipsi propter haeresim duarum naturarum te reprehendunt et communionem tuam declinant, et propter blasphemias synodi et tomi Leonis, qui pro sancta Trinitate quaternitatem proclamant et docent? Ad vos autem omnino non pertinet ut propter haeresim eos reprehendatis et condemnetis, et deinde sacerdotii eorum abrogationem faciatis. Quod si *quid* igitur[2] contra eos quorum sacerdotium illicite abrogasti profecto habes, nobis nunc indica, et lite ac reprehensione de his rebus desinamus. Si enim vos contra omnes regulas et canones ecclesiae ut ita ageretis et sacerdotum verorum sacerdotium abrogaretis eosque denuo crearetis vobis permisistis, ei quod est congruum fuisset ut baptismum etiam eorum abrogassetis, * eosque secundum vim mandatorum canonicorum denuo baptizassetis. En enim canon ⌜sextus decimus[3] CCCXVIII *patrum* de haeresi corruptrice adseclarum Pauli samosateni ut denuo primum baptizarentur mandavit, et deinde qui digni esse viderentur sacerdotes denuo fierent. Et, si vos nunc in vobis ipsis putatis vos ut ab haeresi eos recepisse, quos velut captivitate vi adductos sacerdotes denuo creavistis, quomodo *rem* unam perficitis, primam autem omisistis? ». Iohannes autem haec omnia silentio audiebat eaque culpabilia esse sciebat, cum nullam defensionem haberet qua pro eis uteretur. Postremo autem respondit, dicens, « Quoniam video vos de ordinationis[4] ratione offendi ac scandalizari, quemadmodum etiam haec omnia a vobis ipse silens audivi, si quod in ordinatione[4] fit corrigetur et abolebitur, sufficietne vobis, et nobiscum uniemini? ». Ei autem dicunt ei: « Quam igitur[2] correctionem facere valetis post tantum damnum ac detrimentum, et factum illicitum, quod fecistis?, ita ut non hic solum hoc a vobis perpetratum sit, et irae vestrae atque odii impetum cohibueritis, sed et ad regiones alias etiam

* p. 21.

[1] Ms. « mandavit ». — [2] ἄρα. — [3] Legendum fortasse « undevicesimus »; cf. p. 11. — [4] χειροτονία.

hanc legis[1] transgressionem extenderitis, et repugnantiam omnium regularum et omnium canonum ecclesiasticorum, quos aut vobis incognitos ita violastis et excessistis (?)[2] et conculcastis et transgressi estis, aut eorum scientes sprevistis ac contempsistis, 5 et in tantam transgressionem lapsi estis et excessistis. Et hoc *vos ne lateat, tempore aliquo ubi vocaturum[3] sit, aut viventibus vobis aut fortasse post mortem vestram, haec omnia ad probationem integram et inquisitionem canonicam ventura si mundus vivet et Dei ecclesia stabit. Praeterea res mirationi et 10 fabulae et narrationi plausum excitanti idonea est id aliud quoque quod postremo perpetrastis, quod, etsi impetu irae vel odii, vel potentiae superbia, vel quocunque animo hoc a vobis perpetratum sit, vos mente vestra nunc iudicate et cogitate an recte et investigatione ampla a vobis perpetratum sit. Postquam velut 15 praedatione eis quos captivos fecistis, tamquam in captivos, incidistis eosque ad communionem vobiscum *recipiendam* subegistis ac compulistis, et post triginta sex sacramenta et liturgias quas totum festum azymorum et postea etiam vobiscum fecerunt, quando in ipso sacerdotio eorum priore eos accepistis, et presby- 20 teros cum presbyteris vestris in sacrario[4] sedere fecistis, omnibus his diebus dictis illapsuum[5], et diaconos adhuc eodem ordine diaconatus eorum cum ceteris diaconis accepistis et in gradu eorum constituistis, deinde etiam tandem post haec omnia, procacitate quadem aliena, sacerdotio eorum priori abrogando 25 inconsulto vacavistis; quod nos nunc iudicio vestro et probationi mentis vestrae reliquimus ut consideretis quare sacerdotio eorum abrogato eos denuo creetis. Quod si igitur[6] ita vobis placuit, ut contra ordinem et canones ecclesiasticos ita ageretis, antequam in ministerio sacramenti *eos vobiscum ac- 30 ciperetis, hoc facere poteratis, nec post tot liturgias in quibus vobiscum ipso sacerdotio suo priore conversati et consociati sunt, sacerdotio eorum rursus abrogato eos denuo creare ». Et, cum multa ex utraque parte dicta essent, quae ob multudi-

* p. 22.
* p. 23.

[1] νόμος. — [2] ܢܦܩܬܘܢ hic vix congruit et ex infra fortasse irrepsit. — [3] Sc. « tempus »; vel fortasse vertendum est « vocaturus » (sc. Deus). — [4] ἱερατεῖον. — [5] Sc. Spiritus in oblata. — [6] ἄρα.

nem eorum et ob prolixitatem narrationis quae de eis *esset* neglegimus, qui reprehendebatur in se ipso cognovit se culpae proximum esse, nec fore ut reprehensione liberaretur si quae perpetraverat probaturus esset, et praesertim quae postremo ab eo perpetrata erant, quod ad abrogationem *sacerdotii* eorum qui postea ab eo in ministerio accepti sunt, quorum sacerdotium deinde rursus abrogavit. Propter haec per silentium suum se ipso culpare videbatur, dum verbis foedis et vanis contra hos [1] inordinate utitur.

Caput XIX, de edicto[2] quod fecit rex victor Iustinus. — Cum vero synodi fautores nonnullos ex eis quos ludificati erant iam descivisse vidissent, rex victor Iustinus ad id venit ut edictum faceret, utpote putaret se eo unionem facturum. Quod cum sedulo conscripsisset, ad episcopos qui in domo episcopii inclusi erant per Zachariam quendam sophistam et archiatrum palatii[3], qui genere[4] a Šurā Romanorum erat et antea orthodoxus ut putabatur, statim misit. Hic igitur cum codice edicti quod conscripserat[5] ad eos a rege missus est; et dixit eis: « Hoc edictum rex misericors ad vos legavit, quod vestra causa conscripsit, ut eo vos etiam cum * omni parte vestra uniamini, necnon hoc quoque vobis permisit ac mandavit, ut, postquam id legeritis, quodcunque in eo deficere et correctione indigere videbitis, in eo corrigatis, et, si quid deest quod confessioni rectae utile est, quam vos valere vultis, securi in eo addatis ». Quamobrem, cum episcopi hoc mandatum accepissent, receperunt, idque legerunt; et imperfectum esse viderunt, etsi nonnulla in eo essent quae cum synodo Chalcedonis certarent, et rursus huius quoque doctrinarum atque argumentorum *nonnulla* in eo inveniri. Quoniam autem iussi erant capita etiam, correctiones videlicet, fecerunt, quae si ei inseri adversarii permisissent, unionem haud dubie procuravisset. Is vero qui id attulit correctiones sumpsit, quas apportatas Iohanni conscio et consiliario suo monstravit, et cetero

[1] Vel « haec ». — [2] ἤδικτον. Itaque deinceps. — [3] παλάτιον. — [4] γένος. — [5] Ms. « conscripserant ».

toti consilio[1] eorum; qui, auditis correctionibus, agitati et commoti sunt, eisque timor magnus incidit, cum, si valiturae essent, totam haeresim Diphysitarum radicitus evulsurae essent. Plus vero quam seminestoriani agitati sunt etiam et perturbati
5 Nestoriani germani, eique turbam et tumultum in tota ecclesia fecerunt, dum discurrunt et clerum ac populum conturbant et dicunt: « Si haec additamenta retinentur, tota ecclesia confundetur et vastabitur ». Itaque tandem totus coetus[2] eorum una congregati sunt, et apud regem ingressi sunt ei per-
10 suasuri ne hae correctiones edicto eius insererentur, dum et palatinos etiam incitant, quorum quoque multi in christianismo haud integri erant, et praesertim quaestor, qui non solum paganus erat sed etiam samaritanus, cui nomen fuit Anastasius palaestinensis[3]. * Cum igitur ante regem ingressi essent, et * p. 25.
15 hae correctiones ei lectae essent, ei placuerunt easque valde laudavit, et edicto inseri iussit, et in *textu* sincero[4] exscribi. Deinde omnes qui ingressi erant, clerici et laici, et ceteri senatores[5], strepitum in eum fecerunt, dicentes: « Si, domine, haec capita edicto tuo inseres, et haec in ecclesiam introducen-
20 tur, statim evertetur et vastabitur; et, dum paucos introducere et retinere quaeris, myriades ab ecclesia discedent ». Quamobrem, nonnullis eorum in eum tumultuantibus, vultum in eos iratus obvertit, dicens: « Haec capita[6] recta sunt; sed vos omnes nestorianos esse scio, et animis aegrotare, nec recta fi-
25 de gaudere; et, nisi silebitis, episcopos solutos atque eductos in vos emittam, qui ut lupi vobis incident et vos lacerabunt, neque ante eos stabitis ». Deinde quastori mandavit, dicens: « Nisi ad me statim vespere viginti exemplaria[7] edicti adferes, quibus hae correctiones insint, occipitium tuum auferam ».
30 Itaque totus coetus[2] Nestorianorum et seminestorianorum agitati sunt, et ut apes fumo abactae sonum faciebant; et ita eum obsecrare potuerunt et ob ecclesiae perturbationem terrere; et, cum eum multum ursissent, eis obsecutus rem voluntati eorum reliquit. Hi pauca aliqua tantum ex his correctionibus eum

[1] συνέδριον. — [2] κοινόν. — [3] Cf. II, xxix. — [4] καθαρός. — [5] σύγκλητος. — [6] κεφάλαια. — [7] ἴσα.

inserere siverunt, et ipsi de suis in fine edicti haeretice inse-
* p. 26. ruerunt * « Ecclesiae consuetudines ei conserventur », quasi propter synodum, ut secundum consuetudinem suam eam proclamarent. Hoc excogitaverunt et astute inseruerunt, ne unio fieret, et rota in eos converteretur, utpote nestoriani.

Caput XX, quod postquam edictum in *textu* sincero[1] ad viginti exemplaria[2] ⌈regis mandato[3] exscriptum est, qui primus ei subscripsit, ad inclusos misit. — Postquam enim ut rex mandavit edictum in *textu* sincero[1] exscriptum est, statim ei subscripsit, idque ad episcopos qui in domo episcopii erant misit, nuntio eis legato: « Iam ut desideratis unionem fecimus, et edictum en vobis misimus; et proinde nobis uniri recusare non potestis. Ecce enim vestra causa etiam hoc edictum feci ». Episcopi autem lecto edicto, cum correctiones quas fecerant ibi deesse vidissent, sed excerpta aliquot ex eis secundum voluntatem eorum qui excerpserunt inserta esse, id nihili fecerunt, quoniam id adversarii secundum voluntatem suam confuderant ac pertubaverant, et propter regis timorem ea quae contra Diphysitas stabant de eo auferre non ausi sunt, sed, quantum valuerunt, id egerunt ut sua ei insererent; et cum synodo certare videtur, et rursus pro ea dimicare, et quae ex ea *sumpta sunt*, et ipsius propria in eo apparent. Episcopi autem baiulis eius responsum fecerunt, dicentes: « Si igitur[4] causa offensae et perturbationis totius ecclesiae, synodus videlicet Chalcedonis, e medio tollitur, neque hoc *edicto* eget eccle-
* p. 27. sia; si vero ea etiam in ecclesia * proclamatur, etsi mille talia in omnibus locis et in omnibus regionibus proponantur, unio ex eis non efficitur, et dissidium adhuc locum habet. Hoc enim et contra synodum et pro ea dimicare videtur, et intellegenti ambae *res* etiam in eo cognoscuntur ».

Caput XXI, quomodo Iohannes episcopis testificaretur, dicens: En videte vosmet ecclesiae unioni obstare. — Cottidie vero Iohannes episcopis testificabatur, cum eis qui a persona[5] regis

[1] καθαρός. — [2] ἴσα. — [3] Ms. om.; e relativo seq. inserendum videtur; cf. l. 9. — [4] ἄρα. — [5] πρόσωπον.

ad illos mittebantur, dicentes[1]: « En videte vosmet Dei ecclesiae unioni obstare et officere. Iam enim ad quinquaginta annos venit, et vos nunc eam reicitis et tardatis et impeditis, nec uniri vultis ». Illi autem eis respondebant, dicentes: « Quomodo
5 nos unioni obstamus, quam ipsi ne uno quidem digitorum vestrorum tangitis[2], nisi verbis externis et astutia, ut vos iam vere unioni studere homines putent et credant, et totam accusationem ab omnibus in nos inicere excogitatis? Quam unionem[3] igitur[4] facere studetis? Vel nos quomodo vobis uniri pos-
10 tulatis, cum synodum quae totam Dei ecclesiam evertit et conturbat retineatis, eamque proclametis et foveatis. Si igitur[4] revera, secundum verba vestra, unionem facere studetis, scandalum et causam offensae a via plana fidei * auferte, eamque * p. 28. ex ecclesia Dei eicite, ut ita non solum nos, sed omnes etiam fide-
15 les gaudentes et offensa liberati vobis uniantur »; cum multis huiusmodi quae in copia multa chartarum[5] comprehendere non sufficimus, quae cottidie inter eos disceptatione alterna de his *rebus* dicebantur, quae propter verborum multitudinem et scriptorum copiam praetermisimus et negleximus, ne lectori-
20 bus suis molestia censeantur.

Caput XXII, quomodo episcopi et a primoribus orthodoxorum etiam propter pervicaciam et obstinaciam suam in ratione unionis reprehenderentur et vituperarentur. — Ante tempus igitur huius persecutionis, et tentationes et adflictiones et vin-
25 cula quae a persecutoribus *mota sunt*, praeter hos, a ceteris etiam orthodoxis episcopi duriter reprehendebantur, qui cum eis rixabantur et dicebant: « Quare in contentione et pervicacia ita statis, nec dispensationem et condescensionem facitis, ut in Dei ecclesia unio fiat, sed ita rigide statis et contra potentes
30 contenditis, nec quod nos ipsos et domos nostras et liberos nostros et opes[6] nostras perdituri estis vobis curae est? et quod nos bona nostra perdimus et mendici fimus quid vos curatis? ». Quamobrem, cum haec reprehensionibus duris ab orthodoxis antea eis dicta essent, cum propter divitias suas solliciti essent,

[1] Sic. — [2] Cf. Luc., xi, 46. — [3] ἕνωσις. — [4] ἄρα. — [5] χάρτης. — [6] οὐσίας.

et[1] cum his *verbis* praeterea et ea quoque quae eis Synoditae
* p. 29. cottidie testabantur: « En vos * obstatis ne unio fiat », ad dolorem et fletum amarum die noctuque veniebant, dum sedent et flent et singultibus alius contra alium lamentantur, et vocibus lamentationis dicunt: « Quid nunc faciamus? quod iam ab utraque parte reprehendimur, et nobis testantur et nos vituperant; et, cum nunc iam adflictione inclusi simus, neque ut quemquam amicorum nostrorum videamus nobis permittatur, et adversarii nostri haec praesertim primoribus et insignibus nostrorum dicant, et sese unitati studere omnibus fraudulenter dicant ac praedicent, ideoque, cum omnes verba eorum vera esse putent, cunctam de impedita unione censuram nobis imponant, en nos etiam nunc inter duas partes in medio positi sumus; et, ut datis manibus promissis fraudulentis adversariorum et iuramentis mendacibus confidamus[2], veritatem apud eos non esse cognovimus, et ut per eos unio efficiatur prorsus indignos esse; et, ut rursus contentione contra eos stemus[2], en ab utraque parte usque ad mundi saecula anathematizabimur, ut qui Dei ecclesiae unioni obstemus et officiamus, necnon et horum promissa fraudulenta et verba mendacia etiam vera esse credent, quasi ipsi unionem facere parati essent, et nos unionem ab ecclesia exclusissemus », cum multis huiusmodi quae lacrimis dolorosis multos dies inter eos dicebantur, quorum nos tamquam coram Deo veritatem testamur, utpote qui omnia praesentes viderimus.

Caput XXIII, de disputatione et adflictione ipsorum episcoporum et satellitum eorum. — Cum enim triginta tres dies in eadem disputatione alteri contra alteros acriter constarent synodi fautores, * qui potestatem tenebant, et synodi adversarii,
* p. 30. qui ab eis inclusi erant et acerbe adflicti, quandocunque arcessebantur, et soluti carcere exibant, et ad secretum[3] patriarchae veniebant, sedebant et disputabant quantum potestates volebant; et, quando vel ab eis victi erant, vel eis placebat, episcopi cum custodibus suis exibant, et ingressi intra tres stationes includebantur, unam episcopianorum[4], et unam excubitorum, et

[1] Ms. om. — [2] Clausula aliter continuatur. — [3] σέκρετον. — [4] Satellitum episcopi.

externam ostiariorum[1], satellitibus uniuscuiusque eorum ab omni loco, non solum clericis et monachis et ceteris ingenuis qui cum eis *erant*, sed et famulis eorum etiam cunctis in carceribus obscuris et amaris qui in omni parte domus episcopii erant in-
5 clusis; qui omnes custodiebantur, et non solum, sed quasi a latronibus[2] denudabantur, ab episcopianis et a decanis[3], et si vestibus induti erant denudabantur, usque ad tritum aliquid quod eis aptum non erat, et si apud quemvis eorum calceamentum inveniebatur, sive zonae[4], vel cinctus vel pecunia, vel quid-
10 vis aliud, prorsus denudabantur, et quodcunque apud eos inveniebatur auferebatur et in solum nudati deiiciebantur, et quod ad alimentum etiam angustabantur, et homnibus ut eos viderent vel ut eis quidquam offerrent, vel eis vel episcopis, prorsus non permittebatur; et pro unionis promisso haec mala ipsi et omnes qui
15 cum eis *erant* et has aerumnas ac tentationes tolerabant et sustinebant, et *eo* magis quod tortores suos aperte increpabant.

* Caput XXIV, de disputatione ultima et iureiurando fraudulento ac mendace. — Post haec omnia rursus tandem episcopi e carcere suo missi et educti sunt, et exinde duriter et procaciter
20 eos adgressi sunt et ipse praesul Iohannes et, magis quam is, ei etiam qui a rege missi erant et personam[5] eius gerebant, dicentes: « Quamdiu Dei ecclesiae unionem ita reicietis[6] et impedietis, quam dominus noster rex et nos facere studemus, et hoc bonum de die in diem tardabitis et reicietis, nec vosmet omnibus homi-
25 nibus aperte ostendetis subversores esse et nullum alium? Ergo nunc breviter, aut unimini aut vos ecclesiae unionem conturbare et depellere et impedire manifestum fiat ». Episcopi autem maestitia et adflictione *oppressi* dicunt: « Si res iuste iudicantur, et rationibus integris, unionem non nos tardamus sed vos,
30 qui, cum pars interior cordis vestri contrarietatis veneno et discidio chalcedonensi plena sit, nos ipsos *tamquam* moram facientes ostendere vultis, cum vos ne vel umbram quidem unionis omnino vobis proposuistis neque ostendistis, sed potius[7] omni mendacio chalcedonensi uniri nos fraudulenter postulatis,

* p. 31.

[1] ὀστιάριος. — [2] λῃστής. — [3] δέκανος. — [4] ζωνάρια. — [5] πρόσωπον. — [6] Marg. seriore manu « conculcabitis ». — [7] μᾶλλον.

nec veram ecclesiae unionem iuste et recte facere studetis. Et nunc, ut ab initio diximus, si unionem revera quaeritis, nec fallaciam fraudulentam et astutiam malam facere studetis,
* p. 32. *primum discidii causam e medio tollite, et en unio in loco eius orietur, nec nos fraudulenter praetenderitis. Et nunc, etsi 5 hoc ne in mentem quidem vestram omnino ascendit, quare nos cottidie diffamatis et incusatis, et tormentis et inclusionis tribulationi et ceteris tribulationibus, quas sine Dei timore a vobis sustinemus, dolorem nobis additis, et nos cottidie verbis vestris torquetis, et ulceribus nostris virgam spinosam adhibetis, nec 10 Deum timetis, quod vitam nostram iamiam evanuisse videtis, et ob tribulationes ab omni parte nobis circumdatas defecisse et exstinctam esse? Si igitur [1] secundum verba vestra externa unionem facere proponitis, synodum Chalcedonis eicite, quod ea ecclesiam conturbavit, et ea eam divisit et discidit, ut ne vos 15 quidem negare potestis, itaque unio haud dubia in tota Dei ecclesia orietur ». Rursus Iohannes et qui cum eo *erant* dicunt: « Huic *rei* etiam, ut synodus eiciatur, ut dicitis, vos obstatis. Si enim uniti eritis, statm et synodus etiam eicietur, et unio completa fiet ». Episcopi dicunt: « Ut nobis videtur, nos 20 synodo vestrae uniri cogere studetis. Quod [2] ne vos lateat neu alium, quod, donec halitus de naribus uniuscuiusque nostrum decessurus sit, anathema synodi et tomi Leonis, qui una Dominum et Deum et Redemptorem nostrum Iesum Christum in duas naturas post unionem dividunt, de oribus nostris non decessu- 25 rum est. » Iohannes et qui cum eo *erant* dicunt; « Ut saepe vobis diximus, nos et domini nostri reges [3], tamquam coram Deo, sponsum et iusiurandum vobis dabimus fore ut, vobis unitis,
* p. 33. synodus statim aboleatur, et id quod e * labiis nostris exit non mutabitur ». Episcopi dicunt: « Si prorsus [4] et secundum iusiu- 30 randum vestrum, hoc facere parati estis, quare ergo non statim facitis, ut non solum nos sed et omnes sine offensa uniamur? Sed potius [5] fraude nos decipere vultis, et ut haeresi Diphysitarum uniamur, et postea nos rursus illudatis. Quod si exspectabitis, vos ipsos illuditis et decipitis. Nos enim voluntatem 35

[1] ἄρα. — [2] Parum concinne. — [3] Sc. rex et regina. — [4] ὅλως. — [5] μᾶλλον.

vestram et cogitationes vestras non unionis esse scimus, quia nec veritatem loqui videmini, etsi verbis *unionem* facere parati sitis, ut nos unionem tardavisse ab omnibus censeamur, ut quasi a vobis et ab omnibus nos ut moram facientes anathematizemur. Nos enim nos ipsos etiam unionis causa sacrificamus, ut [1], vestris verbis et promissis confisi, tamquam synodus iamiam anathematizata et eiecta esset, dum anathema eius in ore nostro sine intermissione *manet*, vobis communicemus, at utique [2] semel vel fortasse bis. Deinde tertio ante anathema et eiectionem synodi in saecula saeculorum partem et communionem vobiscum non habebimus. Nos autem vos veritatem verborum vestrorum non praestituros scimus; verum, ut omnibus manifestetur et cognoscatur vos unionem facere non paratos esse, sed nos et omnes decipere putare [3], en iam unioni vobiscum *faciendae* nos ipsos dedimus, at utique [2] usque duas vices ». Haec cum multis quae fine carent inter eos et dicta et testificata sunt. Itaque episcopi adsensi sunt, dicentes : « Nos propter calumnias contra nos a Synoditis factas iam nos * ipsos dedimus, ut cognoscatur moram [* p. 34.]
nos non facere ». Cuncti enim ex utraque parte eis conviciabantur, dicentes : « En reges et patriarcha unionem facere student et cupiunt et parati sunt, et qui inclusi *sunt* eos impediunt et tardant ». Quamobrem propter haec omnia adflictione magna adsensi sunt, et, synodum Chalcedonis alta voce anathamatizantes, communioni eorum se bis submiserunt, ut promiserant et coarguerant (?) [4], dum exinde anathema et reiectionem synodi ab eis qui sub decreto multorum iuramentorum *erant* omnibus his triginta tribus diebus a rege et a patriarcha instanter postulant.

Et, cum hi verba sua irrita facere incepissent, et praetextis eos different (?) [5], dicentes : « Ad papam Romae scribemus, et, si accipiet, tunc synodum eiciemus, vestra enim causa a Roma separari non possumus », tum etiam eis responderunt, dicentes : « Iam nobis etiam tempus est Ionae prophetae verbum [6] iterare, 'Nonne hoc fuit sermo meus, cum ego *essem* in terra mea ? ' ».

[1] Ms. ins. « quod si ἄρα ». — [2] ἄρα. — [3] Sic. — [4] Hoc corruptum esse videtur; fortasse ܐܦܣܘ « concesserant (?) ». — [5] Litt. « inicerent ». — [6] Ion., iv, 2.

Itaque omnibus notum et patefactum est eos qui inclusi erant et tribulationes amaras sustinebant non fuisse qui unionem impedirent, immo pro ea se ipsos dedisse, sed eos qui potestatem tenebant eosque calumniabantur promissa sua et iuramenta erga illos *facta* fefellisse, *id* agentes ut tota offensio, non 5 eorum solum qui nunc sunt sed et generationum post eos venturarum ⌈in episcopos irrueret[1], quasi ei Dei ecclesiae unionem tardassent et impedivissent, nisi hi seipsos pro ea[2] sacrificassent, etsi fides eis non servata est.

* p. 35. * Caput XXV, de maestitia et spiritus infractione quae episcopos oppressit, quoniam communioni[3] Iohannis et ceterorum Diphysitarum qui cum eo *erant* se submiserant et uniti erant. — Quis enim de aerumnis et maestitia et lamentatione et cordis infractione scribere et narrare sufficit quae eos adsecuta est, qui in communionem inciderunt eorum qui eos deceperant, et 15 eis uniti sunt, cum omnino non uniti sint? Quamobrem exinde defecerunt et exstincti sunt; et fletu ac lamentatione qua alius contra alium die noctuque *utebantur* oculi eorum tumuerunt et obscurati sunt, et exemplum maestitiae mulieris super virum pubertatis eius[4] parvum est ut eorum maestitiae comparetur, ut 20 exinde et ab alimento etiam solito se continuerint, et sine cibo et sine consolatione manserint, et lacrimas sine cessatione et sine intervallo effuderint, dum vultum suum unusquisque eorum tegunt[5], et sedent et vocibus miserabilibus et amaris alius adversus alium lamentantur, et iam praecipue de seipsis, 25 quod, post tot certamina[6] et inclusiones et tribulationes, fraude mendace ita capti et imminuti et deiecti erant, cum unio procul staret, neque ad effectum secundum promissum pervenisset. Quamobrem exinde qui eos fraudaverant, cum eos iam defecisse et in perniciem redactos esse vidissent, eis dicebant: « Quare 30 animam vestram cum corpore ita occiditis, tamquam idolis sacrificassetis? Quare igitur animam vestram desperavistis, et in tanto fletu et *tanta* lamentatione perstitistis, et ⌈vosmet ipsos[7] continenter strangulatis? Cibum sumite et solatium accipite, et

[1] Ad verbum: « episcopos consequerentur » (sic). Locus perturbatus esse videtur. — [2] Ms. ins. « non ». — [3] Litt. « communionibus ». — [4] Cf. Ioel., i, 8. — [5] Sic. — [6] ἀγών. — [7] Aut ‘animam vestram’.

vivite nec * interieritis », cum multis quae ab adversariis eorum dicta sunt, ei autem[1] sine solatio manebant. Itaque magis etiam in maestitia et fletu consederunt, et usque ad multos dies exacerbabantur, etiam postquam custodia soluti sunt et exierunt. 5 Et deinde redierunt et viriliter steterunt, cum iam fiducialiter[2] magis coarguerent et cum eis rixarentur, et ut mendacibus et fraudulentis maledicerent. Itaque in custodias et cruciatus prioribus duriores rursus traditi sunt; et postea in exsilia[3] diversa unusquisque eorum ira acerba relegatus est. * p. 36.

10 Caput XXVI, quomodo rex, cum de his rebus didicisset, eos ad palatium[4] arcessitos consolaretur. — Cum enim de tanta maestitia aspera et adflictione amara reges[5] didicissent, episcopos ad palatium[4] arcessitos consolabantur, dicentes: « Quare ad tantam lamentationis necessitatem[6] pervenistis, ita ut adeo 15 debiles et velut mortui fiatis? Bono animo este et consolatium accipite. In Deo enim speramus nos vobis satis facturos, et vos unione perfecta unituros. Nolite adflictari ». Et, cum eum valde reprehenderent de eis quae inter eos dicta erant, et violata erant nec ad effectum pervenerant, dixit eis: « Quoniam ad thermas 20 abituri sumus, me viginti vel triginta dies praestolamini, et scite nos vestra causa statim redituros; et de ea re loqui parati sumus, et vobis satis facere; et tota * ecclesia una fiet, et nos omnes uniet. » Itaque ab eo dimissi sunt, cum coargutionibus multis erga eum usi essent. * p. 37.

25 Caput XXVII, de eo quod rege a thermis reverso factum est, et de notitia[7] quae missa est, et ceteris rebus. — Post triginta dies autem rex a thermis reversus est, ut promiserat. Et, cum nondum urbem intrasset, sed Chalcedone in ripa ulteriore esset, Iohannes consiliariis suis adsumptis ad eum exiit, ut serius[8] 30 apparuit, et criminationes etiam in eos qui inclusi erant addebat, dicens: « Hi se a nobis separaverunt, et se ab ecclesia penitus averterunt ». Tum consilium ceperunt ut voluntatem

[1] Ms. om. — [2] παῤῥησία. — [3] ἐξορίας. — [4] παλάτιον. — [5] Sc. rex et regina. — [6] ἀνάγκη. — [7] γνῶσις. — [8] Hoc [illegible] interdum significare videtur.

eorum quasi tentarent, et iterum eos deciperent; et notitiam[1] urbium magnarum factam ad eos per quaestorem miserunt, dum eis nuntium mittit[2]: « Quoniam vobis satis facere nobis curae est et honori vestro studemus, et vos coniunctos (?)[3] facere quaerimus, en notitiam[1] hanc urbium primariarum ad vos misimus, cum in qua urbe singuli futuri sitis de nostro non nominavimus, sed hoc voluntati vestrae reliquimus, ut ipsi vobis urbem quae unicuique placet singuli eligatis ». Cum vero gloriosus quaestor notitiam[1] accepisset et urbem intrasset, misit et episcopos vocavit notitiam[1] eis daturus, ubi haec omnia cum multis aliis *rebus* ut a persona[4] regis eis dixit. Ei autem notitiam[1] non intuiti sunt, neque ab eo recipere voluerunt, dicentes: « Nos non *ut episcopi in urbibus simus nosmet sacrificare dic regi victori, sed spe promissorum unionis (episcopi enim sumus quamvis indigni) sed[5] ut promissa unionis nobis praestentur, et iuramenta quae spatio multorum dierum nobis facta sunt. Et nos propter haec et ne calumniae in nos *factae* confirmarentur, quasi nos unionem impediremus, eorum communioni nosmet dedimus qui nos fraudaverunt et se nos decepisse putaverunt, nec cognoverunt se non nos sed seipsos decepisse. Et nunc, nisi secundum promissa et iuramenta synodus eicietur et unio fiet, communio cum eis qui nomen eius commemorantur in saecula saeculorum absit ut nobis rursus fiat ». Quamobrem, cum adeo praecise statuissent, nec voluissent accipere, quaestor iratus abiit *et* regem de his *rebus* certiorem fecit; qui etiam iratus est, et, stomacho magno commotus, eis minabatur et aspere intendebat, quod etiam postremo perfecit.

* p. 38.

Caput XXVIII, quomodo, cum haec regi cognita essent et succensuisset, cunctos primores ingredi iusserit, et episcopos in domo episcopii iudicari. — Rex igitur, stomacho completus, patriarcham urbis arcessitum contumelia aspera aspere adortus est, dicens: « Tu episcopos avertisti qui labore multo vix *congruum esse* intellexerunt[6] ut nobis communicent; et tu eos iam a nobis avertisti ». Itaque conturbatus senatum[7] domum epis-

[1] γνῶσις. — [2] Sic (sc. rex). — [3] συγκροτῆσαι vel συγκρατῆσαι. — [4] πρόσωπον. — [5] Sic. — [6] Fortasse corrigendum ܐܫܬܘܕܝܘ « promiserunt », ut vertit Sm. — [7] σύγκλητον.

copii ingredi iussit, et res quae * inter eos factae erant iudicari, et ipsum [1] etiam iudicari, et si eum convicturi essent ipsum etiam damnari. * p. 39.

Caput XXIX, quomodo ut iussi erant in domum episcopii 5 convenerint et episcopi in iudicium vocati sint. — Cum enim secundum mandatum *nonnulli* e senatu[2] cum quaestore die proximo domum episcopii intrassent, et episcopi in iudicium vocati essent, cum ex mandato ab eis postularetur ut in communione synodi fautorum manerent et silerent nec quidquam 10 aliud postularent, tum ei surrexerunt et in certamine[3] fortiter ac viriliter dimicaverunt, et sine timore cuncta promissa fraudulenta, et cuncta periuria, et veritatem violatam et conculcatam, et cetera huiusmodi aperte incusaverunt, itemque anathemate totius haeresis Diphysitarum coram senatu[2] fiducia[4] mul- 15 ta aperte usi sunt (sicut initio et medio tempore et tum etiam fine *eo* integre usi sunt), dum praeterea et decreto etiam perfecto *et* sempiterno communionem eorum eiurante *rem* decernunt et perficiunt, cum ceteris multis quae ibi in lucta[3] certaminis virilis gesta et dicta sunt, donec senatores[5] et patriarcha 20 ira in eosdem episcopos incensi iusserunt eos a conspectu suo vi eici, et alium ab alio separari et in exsilium[6] relegari; quod statim effectum est. Et eiecti et separati sunt, nec se invicem rursus viderunt; et in exsilium missi sunt, pars in monasteria, et pars in insulas maris, et pars in custodias angustas et ama- 25 ras quae in hospitiis[7] *erant*; sententia in eos data est ut includerentur, nec eis concederetur ut ullus ex * ipsorum *amicis*, vel ex aliis unum eorum videret, cum ceteris multis quae crudeliter et dure et sine misericordia ira acerba et censuris iniquis in eos ut in homicidas decreta sunt. * p. 40.

30 Caput XXX, de defensione pro ipso scriptore facta contra eos qui in vanam de eo suspicionem incidunt. — Scientiae altae peritis et mente acutis qui haec verba subtiliter iudicant videbuntur fortasse haec omnia quae dicta ac scripta sunt quae

[1] Sc. patriarcham. — [2] σύγκλητος. — [3] ἀγών. — [4] παῤῥησία. — [5] σύγκλητοι. — [6] ἐξορία. — [7] ξενοδοχάς. — [8] Cf. p. 4.

a scriptore dicta ac scripta sunt scriptorem[1] ut supervacanea et dictionis modo composuisse, tamquam stilo ornato ut ab eo haec scripta essent. Sin autem, unde haec omnia quae inter duas partes facta et dicta sunt ita ordinate narrare et scribere sciebat, et haec litteris tradere? Et praeterea ab una parte in sermone suo ut videtur stat, et contra unam partem tela mittit et pro una dimicat. Sed qui hac suspicione tenentur hoc iam sciant, harum omnium *rerum* scriptorem a lucta[2] non procul afuisse, neque a certamine distasse, ut fama e longinquo et ab aliis *portata* haec reciperet quae in libro suo scriberet et traderet, sed ipsum unum fuisse eorum qui in lucta[2] starent, et in certamine magno cum ceteris vel magis adflictiones viriliter sustinuisse, et persecutionis et custodiarum tribulationes tolerasse, et ab eo et a ceteris * ad regem et ad patriarcham dicta et dispututa esse non haec monumenta tantum pauca quae in libro tradidit, sed et alia centuplicata, quorum propter prolixitatem multam narrationis et copiam verborum infinitorum, parte maiore omissa, pauca tantum ex eis protulit. Et praeterea, quamvis vir esset e parte Diphysitis contraria quae eis adversaretur, ut ipse sermo eius indicat, *sciant eum* operis nihilominus[3] ordinem servare sine inclinatione, vel unius partis sibi contrariae criminatione et calumnia, ut partem suam sustineat, sed, ut initio huius libri operis sui vel ut antea dixit et promisit[4], ita veritatis defensorem[5] factum esse, et veritatis sigillum utrique parti *debitum* conservasse circa ea quae dicta et composita et disputata sunt, quamvis pauca ex eis protulisset, cum nec partem centesimam eorum quae dicta et gesta sunt litteris mandare suffecisset.

(* p. 41.)

Caput XXXI, de Conone, principe haeresis Tritheitarum. — Eo igitur tempore comprehensus est etiam Conon princeps haeresis eorum qui naturas et essentias[6] et deitates et deos in Trinitate sancta et coessentiali numerare audent; qui et ipse etiam comprehensus est et in domo episcopii tempus *nonnullum* cum ceteris reliquis inclusus. Postulabant vero ab eo ut libellum[7]

[1] Sic confuse currit clausula. — [2] ἀγών. — [3] [illegible] hoc significare videtur. — [4] In initio perdito. — [5] συνήγορος. — [6] οὐσίας. — [7] λίβελλον.

faceret ut haereticus; et contra hoc contendit, nec fecit. Quamobrem rex victor certior factus per Deiparam iuravit, dicens: « Etsi petitione facta ecclesiam ingressus oblationem recipiet libello[1] paenitentiae non facto, ego eam non ingrediar * nec oblationem in ea recipiam ». Itaque, quoniam haereticus est et blasphemus, cum Photius Belisarii privignus ad urbem regiam illo tempore venisset, Conon ei datus est, quem secum ad Palaestinam deportavit et in monasterio quod vocatur Novum inclusit; et tempus trium annorum ibi fuit; et sic solutus est et ad regionem Ciliciae abiit[2].

* p. 42.

Caput XXXII, de Photio et de rebus quae ab eo perpetratae sunt. — Hic Photius filius erat uxoris Belisarii patricii cui nomen fuit Antonina. Hic igitur, cum in militia[3] fuisset, et cum ipso Belisario bellis exercitatus esset, postremo ob causam quandam abiit et crinibus tonsis monachismi habitum[4] induit, cum vitae omnino non appropinquasset, sed monachi habitum[4] nomine alieno induisset. Post paulum igitur, cum immanitatem suam Dei timore subiugare non valuisset, ad regem decurrit. Hic igitur, cum indumento[5] monachismi specie[4] externa vestitus esset, propter Samaritanos qui defecerant ad regiones Syriae missus est; et, cum hominibus placere, Deum vero creatorem suum provocare vellet, cum et ipse etiam lucra polluta ⌈criminum modo[7] consectatus esset, se rapinae et praedationi et hominum iniuriis, et eversioni et excidio applicuit, ut tamquam a plagiariis barbaris omnium regionum Orientis magni et parvi usque ad ipsos episcopos et clericos cunctarum urbium ante eum fugerent, sed et quicunque sive in urbe sive in regione[8] esset, quos[9] pane quotidiano abundare discebat, adprehendebat et spoliabat et includebat et suspendebat * et torquebat; et poenam librarum[10] auri in eos decernebat, in quemlibet, sive possidebat, sive non possidebat; nec, si se ipsum et liberos suos et domum suam et possessionem vendebat, qua sententiam oris eius deflecteret cuiquam ratio erat. Cum enim quemlibet adprehendisset, dicebat: « Da tot libras[10] auri, quia rex auro eget quod in bella

* p. 43.

[1] λίβελλον. — [2] Cf. V, III-IV. — [3] στρατεία. — [4] σχῆμα. — [5] στολή. — — [7] Vel « per praetexta ». — [8] χώρα. — [9] Sic. — [10] λίτρα.

expendat ». Itaque centenaria coacervabat et mittebat, ut ob hoc auctoritas ei daretur ut quemcunque vellet quoquo vellet modo tractaret, nec homines ante eum starent. Ab episcopis enim etiam adhuc ita postulata magna faciebat; et, si quis cum eo rixabatur, statim sine mora in laqueum tollebatur, sive capite inverso, sive brachiorum scapulis, sive uno brachio. Quamobrem, ut fertur, in episcopum Ascalonis tria centenaria decrevit, qui, cum lamentaretur et se habere iureiurando negaret, mandato dato laqueo suspensus est, quem suspensum reliquit et discessit, dato mandato ne, si futurum esset ut tres dies suspenderetur, inde descenderet, donec centenaria prodirent. Itaque nec laqueo descendit donec tria centenaria prodierunt. Similia ceteris multis etiam faciebat, donec terra ante eum tremuit, et principes[1] omnes et praesides[2] et ceterae potestates. Et, cum multi ante regem quererentur, ei scripsit: « Peccatum est ut ad nos de rapina mittas ». Is vero ei scribebat: « Tu, domine, ob aurum quod mitto noli peccatum timere. Hoc peccatum in meo ipsius capite sit ». Fuerunt autem cum eo caterva monachorum his *rebus* idoneorum itemque cohortalium (?)[3] et domesticorum et spathariorum et exercitus etiam romanorum[4]. Quamobrem, * p. 44. cum hac foeda * excidii ratione et procacitate et immanitate, omni Dei timori contraria, tempus annorum tredecim complevisset, exitus eius eum oppressit et foveam[5] suam accepit, fine malo et memoria exsecrata. Cui successit alius archimandrita monasterii quod vocatur Novum, Hierosolymis siti, cui nomen Abraham.

Caput XXXIII, de sophistis et scholasticis et naucleris[6] et ceteris qui media persecutione Alexandria vocati ascenderunt. — Media igitur persecutione Alexandriam scriptum et missum est, et ascenderunt sophistae et scholastici et naucleri[6] et ceteri multi, consilio quidem arcano, ut ab eis postularent ut in synodo *eucharistiam* reciperent, specie[7] *autem* externa, et propter unionem, ut reapse etiam de[8] utraque re eis locuti sunt, cum ultimo loco ut *eucharistiam* reciperent ab eis postularetur.

[1] ἄρχοντας. — [2] ἡγεμών. — [3] δεσποτικός. — [4] Sc. militum. — [5] Sc. sepulcrum (contemptive). — [6] ναύκληρος. — [7] σχῆμα. — [8] בגו hic nihil aliud indicare potest.

Qui multos dies contenderunt et disputaverunt, unum circiter annum viriliter, neque omnino obsequebantur vel se submittebant. Postremo autem pars soluti sunt, quoniam qui potestatem tenebant eos vi cogere timuerunt, propter tritici advectum quod 5 inde ad urbem regiam mittebatur, et pars comprehensi sunt, usque ad tres annos, nec quidquam factum est; itaque omnes soluti sunt.

Cap. XXXIV, de cunctis principibus cleri orthodoxorum, qui post haec comprehensi sunt et ad urbem regiam missi[1]. — Post 10 haec autem regi scriptum est episcopos orthodoxorum pro beato Theodosio non unum tantum episcopum fecisse, sed duo. Qui, * dure stomachatus, cunctos principes cleri comprehendi et mitti iussit, quod factum est. Et comprehensi ascenderunt, usque ad tempus morte Iohannis patrarchae posterius; et dein- 15 de Eutychius factus est, qui ante eum erat; et post mortem eius ingressus est et[2] eos liberavit, post annum unum.

* p. 45.

Caput XXXV, de beatis Aegyptiis qui et ipsi ad urbem regiam vocati sunt, ut de *rebus* futuris praedicarent. — Saepe rursus ad Aegyptum ⌜missum est[3], et solitarii multi vocati 20 venerunt, qui arcana scire putabantur, et futura intellegere, ut quot annos victurus esset rex et regina indicarent, et quid regno eius futurum esset, et cetera huiusmodi. Quamobrem nonnulli, cum de his *rebus* interrogarentur, recusabant se nihil scire professi. De admonitione vero et iudicio et iustitia loque- 25 bantur, quae si futurum esset ut perficerentur ipsa Deum placatura esse et *homines* ei propinquos factura. Quamobrem hi non accepti sunt, quod responsum obsequenter ut postulatum erat dare non annuerunt; et statim soluti sunt et ex urbe amoti ut ad regionem suam irent. Alii vero, hominibus adsentati, rei 30 laxitati quae tandem convicta est se submiserunt; qui cum honore recepti voluptatibus et cibi donis diu fruebantur. Et haec saepe perpetrata sunt.

[1] Cf. IV, xxxvii. — [2] Ms. om. — [3] Ms. « missi sunt ».

Caput XXXVI, de monasteriis virorum et mulierum, quorum, postquam violenter tractati sunt, tum pauci adsensi sunt, et tandem etiam reversi. — Cum enim * cuncta monasteria supradicta violenter et contra legem [1] tractati [2] essent, tum pauci in eis communicaverunt, et ceteri in monasteria alia relegati sunt, et in omnibus partibus clerici constituti sunt, qui in unoquoque eorum oblationes offerrent et consentientibus darent. Et synodi nomen in eis inscriptum est, et proclamatum; et, imaginibus omnium patrum orthodoxorum demptis, Iohannes suas ipsius imagines ubique infixit. Quae ut fecit a Deo repensa sunt. Post enim mortem eius amaram et cruciabilem et Eutychii ingressum qui ante eum erat, qui post mortem eius iterum ingressus est, imagines eius detrahebantur, et Eutychii *imagines* in loco earum in ecclesiis infigebantur. Et omnia haec monasteria mulierum plerumque reversa sunt, et orthodoxa facta; ex eis vero puellae paucae manserunt, quae omnibus diebus quibus in synodo *eucharistiam* recipiebant ingrediebantur et monachismi habitum [3] induebant, et a clericis *eucharistiam* recipiebant. Hae [4] autem aperte statuerunt, et *eucharistiam* non recipiebant, ne una quidem earum, et praesertim post Iohannis mortem.

* p. 46.

Caput XXXVII, quomodo Iohannes ante mortem suam a Caesare Christum amante de orthodoxis rogatus sit. — Et ante mortem igitur Iohannis, eum Christianorum persecutione irae zelo ebrius esset et sicut lupus agnorum sanguinem sitiret, ad placidum et serenum Caesarem Tiberium ingressus est, et cum et eum quoque irae zelo sui ipsius instar incendere studeret, et cum multa ad eum de fidelibus protulisset, eum rogavit, dicens: « Volo te de eis quae te rogabo veritatem mihi respondere. Suntne pagani quos me persequi impellis ? ». Is autem mentiri non potuit. Dicit * ei: Pagani non sunt ». Dicit ei: « Sin autem, suntne haeretici? ». Dicit ei: « Nec, domine, haeretici sunt ». Dicit ei: « En ergo, ut tu de eis testatus es, christiani sunt ». Is rursus dixit: « Christiani quidem christia-

* p. 47.

[1] νόμος. — [2] Sic. — [3] σχῆμα. — [4] Sc. ceterae; sed locus obscurus est.

ni sunt ». Dicit ei: « Et, si secundum testimonium tuum christiani sunt, quomodo me Christianorum persecutorem fieri impellis, ut Diocletianum[1] et ceteros reges paganos? I, sede in ecclesia tua, et sile; et noli me his *rebus* rursus molestare ». Itaque
5 impetus immanitatis eius sedatus est, donec ira de caelo eum consecuta est, ut supra indicavimus[2], et e vita terrestri evanuit. Et post hunc rursus, ut supra indicavimus, cum Eutychius ingressus esset et clerici qui rapinae et praedae adsueti erant eum incendere incepissent, et is etiam profectus est et, ad serenum
10 Tiberium Constantinum Caesarem ingressus, multa ei de tota fidelium parte dixit. Sed et is etiam adversus eum respondit, dicens: « Sufficiunt nobis bella barbarorum, ab omni parte nobis circumdata. Bellum aliud praeterea in Christianos excitare non possumus. Abite, sedete et silete. Et, si tamen[3] verbo vel moni-
15 tione suadere poteris, — sin autem eos relinque; et noli eos persequi et nos molestare, qui inter bellorum tentationes ex omni parte *ortas* positi sumus ». Itaque et is etiam ad praesens tacuit et siluit.

Caput XXXVIII, quomodo etiam vivente Iohanne orthodoxo-
20 rum conventicula confirmata sint tandem et surrexerint. — Conventicula igitur omnia orthodoxorum quae a Iohanne sirimensi eversa et clausa erant, cum * Deus in eum castigationem irae asperae de caelo misisset, omnia[4] confirmari inceperunt et aperiri. Et antea etiam timore et silentio et paula-
25 tim, et cum viveret etiam, additamenta acceperunt et creverunt, praesertim cum irae plaga ictus esset, et mens eius igni mortali qui cor eius tenebat et in intestinis eius flagrabat iam implicata esset. Quamobrem qui ei consentiebant et malitiae eius ministri erant, cum voluntatem eius scirent, ingressi tan-
30 dem ei dicebant: « En rursus ecclesiae et synodi inimici conventiculis suis apertis magis quam antea diffusi sunt, et morbo tuo gaudent et mortem tuam deprecantur; et, si nos iubebis, nos magis quam antea eos cruciabimus, et mala eis infligemus ». Is vero stomacho et alta voce cum eis rixabatur, dicens: « Abite
35 a me, homicidae, et calamitate mea satiamini. Vos autem prae-

* p. 48.

[1] Ms. ‘ Docletianum ’. — [2] Cap. XXXVI. — [3] ἄρα. — [4] Sic iteratum.

sertim me in hanc calamitatem ac miseriam induxistis. Maledicta sufficiunt quae ira de caelo in me excitavit et mihi importavit. Conspectu meo exite, nec quis hoc negotium rursus ante me intulerit ». Itaque praesentia eius capitibus demissis exibant. Et ante mortem eius, ut diximus, et rursus post mortem eius, quae mox fuit, conventicula fidelium iam fiducia [1] multa sine timore conveniebant.

CAPUT XXXIX, de monasterio quod vocatur Rupis in regione Bithyniae. — Monasterium igitur hoc Rupis a Narse aedificatum est, cum regis chartularius in palatio [2] esset, antequam *p. 49. * Romam iret, utpote qui a palatio [2] discedere paratus esset et abire caput suum tonsurus et in eo habitaturus. Monachos vero in eo constituit qui Cappadocia expulsi erant, cum praedia haud pauca ei emisset et ecclesiam mirabilem in eo [aedificasset], et xenodochium in eo fecisset, et reditus [3] haud paucos ei donasset. Itaque, Romam missus, per Dei auxilium, quod eum comitabatur, victoriis magnis multorum proeliorum claruit. Et ibi in eis regionibus mundo exiit; et ossa eius allata sunt et in monasterio deposita, et reges [4] eum portaverunt et in eo deposuerunt et consecraverunt [5].

CAPUT XL, de episcopis synoditis qui Alexandriae fuerunt. — Postquam annos *aliquot* in episcopatu Alexandriae explevisset Iohannes ex patricio qui in urbe regia fuit et illuc missus est et mortuus esset, tum post eum vocatus est vir cui nomen Eulogius xenodocharius ab Antiochia, et papa ibi factus est, anno tertio victoris Tiberii. Partis [6] vero Iulianistarum erat Dorotheus, qui ante annos multos factus erat et ibi sederat. Partis [6] praeterea Theodosianorum, post tempus mortis eius, fuit primo vir cui nomen Theodorus eremita syrus. Quod cum clerici et ceteri audivissent, hunc aversati sunt, quo non recepto, contra ordinem canonicum arroganter se gesserunt et alium praeter eum fecerunt cui nomen Petrus. Qui cum... [7] ex-

[1] παῤῥησία. — [2] παλάτιον. — [3] πρόσοδον. — [4] Sc. rex et regina. [5] Sc. in loco sacro deposuerunt. — [6] μέρος. — [7] Aliquid excidit, aut auctor numerum annorum vacuum reliquit.

plevisset et plus quam octoginta episcopos fecisset, mortuus est, et syrum quendam fecerunt cui nomen Damianus; et separati manserunt.

* CAPUT XLI, de episcopis qui Antiochiae fuerunt a Flaviano et Severo. — In Antiochia igitur magna Syriae, diebus Anastasii regis, fuit Flavianus, qui haeresi Diphysitarum convictus est et sede sua expulsus, cum annos *aliquot* fuisset. * p. 50.

Post eum fuit Severus orthodoxus, qui annos sex sedem tenuit; et initio regni Iusti[ni] senis primi a sede sua discessit, et post annos *aliquot* quos in deserto Aegypti fuit ibi mortuus est. Et, cum annum unum Antiochia episcopo caruisset, tandem Paulus iudaeus descendit, qui paramonarius beatae Euphemiae Chalcedone erat. Hic diptychum cui synodus inscripta erat ad Orientem detulit; et, cum duo circiter annos sedem tenuisset, nestorianus esse cognitus est, et is etiam similiter expulsus est, et discessit.

Et, post hunc, Euphrasius filius Samaritanorum; et, anno septimo eius, Antiochia terrae motu eversa est, in quo mortuus est. Post hunc autem porro fuit Ephraim amidensis filius Appiani (?), persecutor Paulo et Euphrasio peior, qui annos *aliquot* vixit et mortuus est.

Et post hunc fuit Domninus romanus[1]....

Et post hunc [fuit An]astasius, qui apocrisiarus erat Alex[andri]ae; quem Iustinus alter occasionibus in eum inventis expulit, et in vicem eius missus est archimandrita quidam montis Sinai cui nomen Gregorius.

Et rursum sy[nodi Chalcedo]nis adversarii primum post multum tempus in loco Severi fecerunt Sergium, virum qui genere[2] erat tellensis[3], qui cum tres circiter annos complevisset, in urbe regia mortuus est, qua etiam factus est.

Post tempus vero, ei successit Paulus * quidam alexandrinus, Theodosii Alexandriae syncellus, cuius mandato et scientia factus est diebus malis. Inter eum et beatum Iacobum schisma fuit, quo ecclesia fidelium scissa est et in duas factiones divisa, et duae partes secum invicem in pugnas et con- * p. 51.

[1] Sc. miles. Vox seq. legi non potest. — [2] γένος. — [3] Sc. constantinensis.

tentiones insedabiles inciderunt. Et Pauli porro adversarii post mortem Iacobi alium patriarcham Antiochiae constituerunt, virum cui nomen Petrus, contra legem[1], qui de urbe Callinico *erat*.

Et haec ita paulatim facta sunt usque ad tempus quo haec scribuntur, quod est annus 892. 5

CAPUT XLII, de episcopis qui diebus regni Iustiniani Constantinopoli fuerunt. — Constantinopoli autem post Epiphanium Anthimus ad episcopatum ductus est, qui antea Trapezuntis urbis episcopus erat, et ad urbem regiam vocatus est. 10
Et, cum in ea tempus annorum *aliquot* fuisset, Severus Antiochiae per mandatum Iustiniani ex Aegypto vocatus est ut de unione colloquerentur, et cum impietatem et perversitatem synodi Chalcedonis et blasphemias Leonis quae in tomo eius *sunt* Anthimus per disputationem Severi didicisset, throno[2] ur- 15
bis regiae relicto, exiit et cum Severo et Theodosio Alexandriae unitus est.

Post hunc autem in throno[2] urbis regiae sedit Menas quidam alexandrinus, qui xenodocharius xenodochii Samsonis erat. Is, cum annos *aliquot* complevisset, a mundo discessit. Post 20
eum constitutus est adulescens quidam monachus apocrisiarius
*p. 52. Amasiae, cui nomen Eutychius. Itaque, cum hic * annos circiter duodecim sedem tenuisset, expulsus est et a sede discessit. Post eum fuit Iohannes syrus quidam a Sirmin, pago in agro Antiochenorum. Is cum creatus esset Eutychii depositio- 25
nem[3] fecit, et Eutychius eius. Et, cum Iohannes annos duodecim et dimidium complevisset, mortuus est, et Eutychius iterum vocatus ad sedem suam rediit.

Liber primus historiarum ecclesiae finitus est, in quo capita quadraginta duo comprehensa sunt. 30

Item liber secundus historiarum *rei* ecclesiasticae[4], in quo sunt capita LII, quae sunt haec:

Caput I, quomodo, cum episcopi se ab eis fraudatos et deceptos esse vidissent, Synoditarum communione abstinuerint. II, de Paulo

[1] νόμος. — [2] θρόνος. — [3] καθαίρεσις. — [4] ἐκκλησιαστική.

patriarcha, et de scripto quod fecit quod correptum est. III, de Stephano episcopo Cypri, et de accitu Pauli [1]. IV, de Iohanne qui super paganos *erat*. V, de tribulationibus et tentationibus quae Iohannem consecutae sunt. VI, de visione quae Iohanni saepe visa est. VII, de exsilio [2] eiusdem Iohannis. VIII, de Pauli a domo episcopii fuga. IX, de glorioso Andrea reginae sacellario, et de certaminibus [3] quibus certavit. X, de Sophia regina quae cum orthodoxis usque ad duos annos antequam regnaret communicabat. XI, de tribus consulibus [4] qui et ipsi obduraverunt et perstiterunt et viriliter certaverunt. XII, de duabus mulieribus nobilibus quae et ipsae obduraverunt et integre certaverunt. XIII, de Sergio et Sergio, presbyteris nostris, et de verberibus et custodiis quas sustinuerunt. XIV, de Andrea presbytero incluso. XV, de diaconia eorum qui pauperes et aegros lavant. XVI, * de diaconia alia magna. XVII, quomodo exinde persecutiones ubique excitatae sint. XVIII, de eis quae a catholico Dovin urbis magnae Persarmeniae et sociis eius narrabantur. XIX, de eis quae a magis regni Persarum primoribus apud regem eorum dicta et gesta sunt. XX, de initio incitationis Chosrois regis Persarum in Christianos. XXI, de eis quae postea a Chosroe in Persamenia gesta sunt. XXII, de eisdem *rebus* quae a catholico et sociis eius narrabantur, et ceteris *rebus*. XXIII, quomodo, cum episcopi armenii advenissent, simplicitate ingressi sint et *eucharistiam* receperint. XXIV, de eis quae postremo gesta sunt quando Armenii se dediderunt. XXV, de castigatione terribili et dura quae Iohannem consecuta est. XXVI, de languore et cruciatu iudicii aequi qui Iohannem sirimensem consecutus est, itemque quod a daemone agitabatur. XXVII, quomodo Iohannes orthodoxorum imagines omnes everterit et detraxerit. XXVIII, de Theodulo diacono persecutore. XXIX, de regis quaestore. XXX, de eo quod, cum ecclesiae orthodoxorum in persecutione unitae [5] essent, *accidit*. XXXI, de vocatione et ingressu Eutychii. XXXII, de eis quae ab archidiacono [6] Romae dicta sunt. XXXIII, de eo quod, Eutychio vocato, *factum est*. XXXIV, de Iohannis imaginibus quas Eutychius detraxit. XXXV, de libro quaternitatis, id est duarum naturarum, quem fecit Eutychius. XXXVI, quod Eutychius ad haeresim eorum qui corporum resurrectionem negant conversus est. XXXVII, de eo quod *factum est* cum omnes in Eutychium murmurarent. XXXVIII, de Probino Andreae sacellarii servo. XXXIX, de sorore quadam moniali. XL, de hymno feriae quintae mysteriorum quem Eutychius mutare quaesivit. XLI de eis quae tandem rursus, post omnes tentationes eius, Iohanni acciderunt qui « super paganos » vocabatur. XLII, de Paulo. XLIII, * p. 53.

[1] Ms. « eius »; vide cap. III infra. — [2] ἐξορία. — [3] ἀγών. — [4] ὕπατοι. — [5] Locus corruptus. Legendum fortasse ܐܬܬܚܕ̈ܝܢ « clausae »; sed vide cap. XXX infra. — [6] ἀρχιδιάκονος.

* p. 54. de libello [1]. * XLIV, de Deuterio, Pauli successore. XLV, de [2] Condobaditis [3]. XLVI, de monachis cappadocibus. XLVII, de orthodoxia [4] mixta. XLVIII, de elephantis. XLIX, de incendio. L, quod causam indicat cur unius capitis memoria in capitibus multis inveniatur. LI, quomodo Eutychius cum ex haeresi Sambatianorum fuisset haeresi alii tandem se dederit. LII, quod *articulo* « qui pro nobis crucifixus es » adversatus est.

Caput I, quomodo, cum episcopi se ab eis deceptos esse vidissent, a communione Diphysitarum abstinuerint et aversati sint. — Ut igitur rursus ad historiam episcoporum qui tentationes multas custodiarum tertiarum et cetera sustinuerunt rursus [5] revertamur, de quibus parvum e multo in libro nostro primo indicavimus, sicut secundum ordinem seriei *rerum* ibi congruum erat, qui [6], cum primum se ab eis deceptos esse vidissent, et promissa multa iuramentorum multorum falsata esse, quae ad eos de unione conficienda facta sunt post duas vices quibus fraudulenter communicaverunt, et *cum* adflictione et dolore et tribulatione infinita, et lamentationibus et planctibus amaris usi essent, deinde tandem decretum ac sententiam de se ipsis fecerunt se rursus omnino communionem cum eisdem Diphysitis numquam accepturos, si usque ad gladii et ignis mortem venturi essent. Quapropter etiam stomachus durus et ira magna in eos fuit, et omnes in exsilium [7] tertium relegati sunt, unusquisque eorum in loco suo, *ita* ut haud paulum alius ab alio

* p. 55. distarent, * sententiis duris et acerbis in eos decretis, ut antea indicavimus [8], et angorem amarum passi sunt, et amicis caruerunt et a propinquis longe afuerunt, donec usque ad ipsam mortem pervenerunt.

Caput II, de Paulo patriarcha et de scripto quod fecit quod correptum est. — Cum igitur episcopi, foedere inter se statuto, sententiam et decretum de se ipsis fecissent se numquam omnino communionem cum Synoditis rursus accepturos, et contendissent et potestati viriliter restitissent, et multa *et* infinita inter eos magni certaminis lucta [9] gesta et dicta essent, deinde furore acerbo exsilium [7] in eos, in unumqueque eorum, sine mi-

[1] λίβελλον. — [2] Ms. om. — [3] Sic pro « Condobauditis ». — [4] ὀρθοδοξία. — [5] Sic iteratum. — [6] Sic constructio mutatur. — [7] ἐξορία. — [8] I, XXIX. — [9] ἀγών.

sericordia decretum est. Itaque primo Paulus patriarcha in monasterium quod vocatur Abraham missus est et inclusus. Quamobrem, cum inclusus esset et tempus et lumen parvum e custodia sua invenisset, tum de eis quae in ecclesia per Iohan-5 nem sirimensem acciderant scribere incepit, sed observatus est et inter scribendum comprehensus, et liber ei ablatus est cum nondum completus esset, quem ad Iohannem attulerunt. Is eum furore acerbo cepit, et ingressus ante regem legit. Quamobrem rex etiam, cum *librum* in se et in patriarcham, 10 et in ea quae contra agmen[1] orthodoxorum fecerunt, scriptum esse audivisset, ipse quoque ira admodum repletus est et in Paulum commotus; et eos[2], libro sumpto, eum adire iussit et ab eo postulare ut an ipse scripsisset confiteretur, et si confessurus esset, ab eo postulare ut se ipsum librum scripsisse 15 subscriptione confirmaret, si autem negaturus nec confessurus esset, eum ad mortem flagellari donec confessurus esset, et in custodia relinqui. Quamobrem qui iussi erant, libro sumpto, Paulum in monasterio stomacho * magno adierunt et ei eum ostenderunt; et ab eo postulabant ut confiteretur an ipse haec 20 scripsisset. Is, ne mendacio deprehenderetur, se ipsum librum scripsisse confessus est; et ab eo postulaverunt ut in libro manu sua scriberet et confiteretur « Ego Paulus me omnia quae in hoc libro sunt manu mea scripsisse confiteor[3] ». Itaque eum ibi inclusum reliquerunt, et abierunt librum ad patriar-25 cham et regem relaturi. Et dehinc mortis minae ei fuerunt, quod *rei* huic[2] Romae etiam criminationes aliquot adiunxerat. Enimvero ipse etiam et omnes de vita eius desperaverunt, et putaverunt eum morte mala moriturum et de vita terrestri periturum.

* p. 56.

30 CAPUT III, de Stephano episcopo Cypri, et de Pauli ab exsilio[4] accitu et ingressione, et de fuga eius quae postea fuit. — Hic Stephanus episcopus erat, cuius mentionem opus antea fecit[5]. Eum Iohannes urbis regiae episcopus, sacerdotio abrogato, denuo creare quaesivit, sed cum eo contendit, eique integre et 35 fortiter restitit; et, cum ad regem decurrisset, in illum prop-

[1] τάγμα. — [2] Sic. — [3] Vox femin. gen., quae ideo librum non designat. — [4] ἐξορία. — [5] I, XVI.

ter hoc clamavit et vociferavit, ita ut rex etiam hoc respuerit, et ipse etiam admodum vituperaverit. Et ipso iubente, typus pragmaticus factus est, ne quis rursus hanc rationem illicitam et impiam adhibere auderet. Et, cum fiduciam [1] multam apud regem nactus esset, *is* ut Cyprum insulam episcopus adiret statuit et *eum* valde honoravit, et eius gratia remissionem multam etiam in illa insula fecit. Tum dehinc hic, cum fiduciam [1] accepisset, petitionem pro Paulo obtulit ut venia ei daretur, et miseria illa dura qua tenebatur solveretur. Rex autem, cum Stephanum honore adfecisset, ei promisit, si ingressus * cum eo communicaturus esset *Paulus,* fore ut omnium delictorum quae commiserat venia ei daretur. *Stephanus* autem eum adiit et haec ei locutus est; qui ob metum mortis quo opprimebatur, datis manibus, ingressus denuo rursus communicavit, et in domo episcopii receptus est. Iohannes autem, cum eum ante omnes illudere voluisset, multos e senatoribus [2] et ex Alexandrinis, quoniam genere [3] ab ipsis Alexandrinis erat, congregari fecit, et eum coram omnibus *eucharistiam* denuo a se recipere fecit; quod *factum est* ut, si reverti quaesiturus esset ut exspectavit, *ad hoc* non valeret. Et idcirco rex eum dehinc cottidie recipiebat et ei de multis rebus loquebatur, quoniam vir sapiens fuit et sciens, et multum legerat; ideoque rex de negotiis consilium ab eo accipiebat, et rex saepe cum eo sermocinabatur, et clam ei loquebatur, adeo ut hoc Iohannem haud paulum conturbaverit, ne *forte,* eo eiecto, Paulum in vicem eius introduceret. Ideoque Iohannes anxietate [4] multa et metu tenebatur, et regem tentare incepit, dicens: « Si tibi videtur, domine, patrem Paulum Hierosolyma episcopum mittamus vel Thessalonicam, quoniam ambo throni [5] vacant ». Rex vero, astutia eius cognita, ut magis eum terreret, dixit ei: « Patrem Paulum praetermitte, quod hic a nobis requiritur »; quod magis eum conturbavit. Ideoque, hac suspicione vehementer oppressus et agitatus, tum Paulum dehinc [6] neglexit, ut, si vellet, discederet, et sine custodia reliquit, et qui volebant ad eum ingrediebantur, eo consilio ut fugiendi co-

* p. 57.

[1] παῤῥησία. — [2] σύγκλητος. — [3] γένος. — [4] ἀγών. — [5] θρόνοι. — [6] Vel « ideo » (iteratum). Clausula male currit et fortasse corrupta est.

piam haberet; quod etiam factum est. Et fugit Paulus, et Iohannes cura levatus est.

Caput IV, de Iohanne qui super paganos. — Cum igitur per * p. 58.
Stephanum Paulus ingressus communicasset, et idcirco etiam
5 ei multum confisi essent Synoditae, Stephanus ad Iohannem etiam, qui « super paganos » et « idolorum fractor » vocabatur, a rege et a patriarcha cum senatoribus [1] et ceteris aliis mittebatur, in xenodochium quod vocatur Eubuli [2] in quo, post secundam in domo episcopii inclusionem, et postquam om-
10 nes alius ab alio separati sunt, Iohannes in domo adflictorum inclusus erat, cum familiarium eius nemo omnino apud eum videretur. Ad hunc igitur qui missi sunt venerunt, dicentes: « Domini nostri reges victores et patriarcha [3] te amantissime salutant, et te obsecrant ut te ipsum hac tribulatione liberes,
15 et venias *et* ad fratres tuos Mar Paulum patriarcham et Mar Elisaeum ingressus eos delectes, ipsosque reges misericordes et sanctum patriarcham, et de unione rursus loquamini ». Quamobrem Iohannes ob miseriam et pressuram [4] inclusionis durae, his auditis, zelo incitatus est, ut eos qui ad eum venerant
20 indignabunde ac duriter et imprecationibus et contumeliis et maledictis, et huiusmodi multis adoreretur, quae litteris notare supervacaneum visum est. Itaque exacerbati et in eum agitati praesentia eius exierunt. Et rursus postero die ad eum missi eum vultu [5] placido a regibus et patriarcha obsecrave-
25 runt, dicentes: « Propter ecclesiae unionem manibus datis veni, et loquamur, et noli ita in contentione de unione stare ». Tunc rursus et quae prioribus duriora erant ab eo audiverunt, dum dicit; « Deus et homines unione priore satiati sunt, quae verbis facta est et in eversionem et evulsionem * et ruinam eva- * p. 59.
30 sit », cum ceteris huiusmodi. Et, cum saepe ad eum ivissent et venissent nec se submisisset vel eis obtemperatus esset, tandem ei dixerunt: « Nos, quoniam ea quae in te ventura sunt scimus, et mortis minas in te audimus, te morte simplice non periturum, nos enim super te angore afficimur, dicimus malorum

[1] σύγκλητος. — [2] Εὐβούλου (ms. pl.). — [3] Ms. « patriarchae ». — [4] ἀνάγκη. — [5] πρόσωπον.

quae sustenturus es nos innocentes esse ». Quamobrem, his auditis, zelo accensus eis maledixit : « Nisi me assatum comederitis [1], tum e conspectu vestro effugiam, et deinde morti amarae tradar ». Itaque cito praesentia eius exierunt, et Stephanus, cum clam solus ad eum venisset, de mortis minis in eum decretis eum certiorem fecit, et dixit ei : « En ego iam, ne mala in te ventura videam, discedo, tibi ipsi consule ». Et, cum multa facta et dicta essent, fortitudinem eius labefactare non valuit. Itaque Stephanus, eis relictis, ad Cyprum exiit. 5

Caput V, de tentationibus quae Iohannem ⌜postea in tribulatione inclusionis eius[2], consecutae sunt ⌜et de insectis variis quae eum die noctuque cruciabant[2]. — Cum enim Iohannes tribulatione dura et amara inclusionis premeretur, in tribulationem aliam etiam doloris amari pedum et manuum ob podagram incidit, ideoque tanquam mortuus factus est et qui se convertere vel manum unam vel pedem movere non potest, et cura humana, praesertim familiarium, privatus, et praeterea tentatione etiam insectorum variorum * die noctuque cruciabatur, cum primo pediculis infinitis scateret, praeter hos et pulicibus quibus cella in qua inclusus erat plena erat, qui die noctuque vitam eis vexabant, et praeter hos item totum diem examinibus muscarum et culicum infinitorum qui in eo congregabantur ob valetudinarii fetorem, cum manus movere eosque a se abigere omnino non posset, nec quemquam haberet qui ab eo abigeret. Tentatio vero alia quarta *fuit* omnibus amarior quae noctu ei addebatur, ⌜id est[3] cimices, qui ita totam noctem exibant et eum cooperiebant, et totum lectum eius et frontem eius et oculos, donec frons eius et oculi tumebant, et densi[4] erant, nec eos[4] a se abstergere poterat. Et tentatio alia item quinta *fuit* culicum, qui praeter hos totam noctem eum ut ignis urebant, praesertim vultum, et ubicunque *locum* nudum in corpore eius inveniebant, dum ob tantam pressuram[5] flet et lamentatur, et *ob* ignem qui ex his quinque plagis quae[6]

(margin: 10, 15, * p. 60., 20, 25, 30)

[1] Cf. p. 4. Dictum vulgatum esse videtur. — [2] In ms. haec non minio, sed atramento quasi capitis pars scripta sunt. — [3] Ad verbum : « qui erant ». — [4] Ms. fem., sed nihil aliud indicari potest quam cimices, qui supra masc. sunt. — [5] ἀνάγκη. — [6] Ms. om.

toti corpori eius intrinsecus et extrinsecus circumdata erant, nec erant homines qui in auxilium eius venirent, nec noctu nec die, qui tot tentationibus insectorum urebatur. Et praeter hos item tentatio sexta *fuit* quam ei intulit Satanas, id est[1] mures, 5 qui ascenderunt *et* nidum sibi in pulvinari quod sub capite eius *erat* fecerunt, et totam noctem sub capite eius fodiebant et stridebant. Et tot tribulationes ad inclusionem eius et morbum ei additae sunt, nec erat qui succurreret. Fortasse vero in ludibrium etiam et irrisionem memoriae harum *rerum* mo- 10 numentum accipient qui non tentati sunt nec in eas inciderunt. Isti, secundum verbum Domini nostri, « vigilent et orent ne in tentationem intrent »[2].

* CAPUT VI, de visione, et ea non somnii sed quae revera fuit, * p. 61. quae Iohanni in ea tribulatione visa est. — Cum igitur, ob lan- 15 guorem malorum inter tantum corporis eius incendium quod propter omnia insecta varia et amara a quibus urebatur fiebat, dictus Iohannes......[3] venisset, pro eo quod, inter dolores amaros qui eum rursus cruciabant, exspectavit etiam qui contristaretur et non erat, et consolatorem et non inventus est[4], 20 deinde ob tentationum pressuram[5] in demissionem spiritus ductus est, ut quasi in fine ipse narrabat. In epistulis enim etiam multis itemque in defensione quam synodo orientali et cunctis ordinibus[6] fidelium fecit haec omnia scripsit, itemque visionem quam vidit, defensione coram Deo facta, se 25 veritatis terminum non excedere nec unum verbum eis quae sustinuit addere, vel quod ad visionem quae ei aperte visa est, ita coram omnibus dicens: « Cum tot tentationibus vapularem, et spiritus meus contristatus esset et vitam desperassem, die quodam puer quidam adulescens adspectu pulcer tunica alba 30 et pulcra plumis[7] intexta (?) vestitus advenit, et ad me subito ingressus est, ut ego putaverim eum unum esse ministrorum[8] aegrorum. Is post prandium ipso meridie, omnibus obdormitis et portis clausis et silentio ex omni parte facto, cum ego tot insectorum variorum pressura[5] urerer, et inter do-

[1] Ad verbum: « qui erant ». — [2] MATTH., XXVI, 41. — [3] « In desperationem » vel huiusmodi aliquid excidisse videtur. — [4] *Ps.* LXIX, 20. — [5] ἀνάγκη. — [6] τάγμα. — [7] πλούμια (litt. « plumarum »). — [8] ὑπηρέτης.

* p. 62. lores amaros *essem*, tum advenit *et* ad me * subito ingressus est, dicens: « Salve, pater. Quid est sermo tuus?[1] Quomodo te habes? Noli timere ». Ego, eadem spiritus defectione oppressus, propter tribulationem multam dixi ei: « Quare me rogas, fili, cum in tanto cruciatu me videas? » Adulescentulus autem ille dixit mihi: « Animum sume, abbas[2]; nec spiritus tuus deficiat; et Deo gratias age qui te non reliquit. Tribulatio enim tua eum non latet ». Ego rursus dixi ei: « Quod solatium vel quod levamentum habere possum, qui iam amare morior, non solum ob pressuram[3] dolorum durorum, secundum peccata mea mihi impositorum, sed etiam ob tot insecta quae mihi circumdata sunt et me consumunt, nec homines habeo qui mei reminiscantur, quorum aspectu saltem adlever? » Is autem post haec dicit mihi: « Scimus te vexari nec quemquam habere qui te curet, et te praesertim dolore et insectis vexari; et propter hoc ego nunc ad te ingressus sum, ut te visitem et consoler. Scio enim etiam te sitire neque esse qui tibi aquam porrigat. Potus mixtos enim ad te adfero. Deus tibi succurrit, bono es animo; et, secundum tantam tribulationem quae te tenet, sci Deum ita mercedem tuam etiam aucturum. Noli contristari nec animum despondere ». Quamobrem, cum haec et alia multa mihi dixisset, foras egressus est, et rediit urnam portans et potus mixtos mirabiles, qui ut lux coruscabant; et dedit mihi, et suaviter et grate bibi, et anima mea sedata est et Deo gratulatus sum, et illi puero etiam gratias egi, cui dixi « Deus tui misereatur, fili, quod hanc gratiam mihi fecisti et me visitasti, et adlevasti et consolatus es ». Et, cum me valde adlevaret, dicit etiam: « Cras te rursus visitabo »; et abiit. Itaque aspectu et sermone illius adulescentuli solatium accepi, * et
* p. 63. omnes dolores mei et tribulationes leviores mihi facti sunt.

Et die crastino rursus ea hora advenit, et rursus me rogabat: « Quomodo te habuisti? Bono es animo, et noli contristari, quod pro tanta tribulatione mercedam magnam a Deo recepturus es, et huius pressurae[3] remissionem habebis; et homines tui apud te congregabuntur; et Deus tecum est, ne contristetur spiritus tuus », cum multis insuper quae mecum locutus

[1] Sc. « quem nuntium habes? ». Vide BROCKELMANN s. v. — [2] ἀββᾶς. — [3] ἀνάγκη.

est; et rursus abiit. Die vero tertio, cum oculi mei iam erecti essent et adventum eius exspectarent, non venit; et multum sollicitatus sum et adflictione magna opprimebar, Die vero quarto ea hora rursus advenit, dicens: « Scio te sollicitatum esse quod heri ad te non veni. Noli sollicitari, te non relinquam ». Et, cum rursus me valde admonuisset et consolatus esset, a me rursus exiit. Itaque octo dies abibat et ad me veniebat, cum adulescentuli illius aspectu pulcri formam, et pulcritudinem, et lineamenta, et sermonem, et scientiam admirarer. Post vero has octo vices quibus ad me venit et abiit, denique patriarchae syncellus me probaturus advenit »[1]. Et, cum multa protulisset, ei respondit[1], « Hoc fidei vestrae schismaticae par est, ut paganorum modo vos tractetis; unde iam paganorum facinus peragitis, quod me in tanta pressura[2] videtis, nec Deum timetis, ut unum saltem e famulis meis qui a vobis inclusi sunt mihi detis coram me staturum ». Et, cum multa narrasset[3] quae inter eos dicta sunt, et quae duriter ei locutus est et eum reprehendit, a praesentia eius stomachi impetu exiit, et discessit *et* unum e famulis eius ad eum adduxit, et dixit: « En famulus tuus tibi serviat, et noli nobis maledicere »; et stomacho exiit, et discessit. Quamobrem, postquam famulus eius advenit, adulescentulus ille ad eum rursus non venit, nec * ei rursus visus est. Quamobrem miratus et sollicitatus, cum de eo putaret eum ministrum[4] esse, magistro[5] qui eum custodiebat dixit: « Puer[6] quidam ex ministris[4] vestris ad me ingrediebatur, et me consolabatur et visitabat, et iam dies *aliquot* e quo hic famulus meus ad me venit ille ad me rursus non venit. Quid igitur[7] ei accidit? Num aegrotavit? » Magister[5] autem ab eo percontatus est: « Qualis erat puer? » Et is dixit ei: « Adulescentulus aspectu pulcer erat, et corpore speciosissimus fuit, et vultu[8] nitidus ac candidus, et tunica pulcra fimbriis[9] intexta vestitus erat, cui insunt rotae figurarum, et supra et infra » (?) Magister[5] dicit ei: « Formarum quas mihi dedisti[10] nullum omnino ministrum[4] habemus »; et is rursus respondebat et ei

* p. 64.

[1] Auctor, per incuriam fortasse, in tertiam personam labitur. — [2] ἀνάγκη. — [3] Ipse Iohannes, in narratione, confuse; cf. n. 1. — [4] ὑπηρέτης. — [5] μαίστρος. — [6] Vel « famulus », et ita infra. — [7] ἄρα. — [8] πρόσωπον. — [9] Litt.: « fimbriarum eius » (cf. p. 43, n. 7). — [10] Sic.

dicebat: « Sci eum octo dies apud me ingressum esse et exiisse, et me adlevasse et consolatum esse, et mecum sapienter et eleganter locutum esse ». Et rursus dixit magister[1]: « Puerum qualem dixisti prorsus non habemus ». Et deinde egressus omnes pueros congregavit, et ante eum introduxit, dicens, « En omnes ministri[2] nostri, nec alium habemus. Vide an unus ex eis sit ». Is autem, cum omnes contemplatus esset, dixit, « Nullus ex his est ». Deinde magister[1] cum audivisset dixit: « Dei visio tibi visa est et te visitavit, abbas[3], et angelorum aliquis vel sanctorum aliquis ad te missus est te confirmaturus et consolaturus. Hic vero nemo qualem dixisti est ». Itaque Iohannes obstupuit, cum attonitus esset et admiratus, et adulescentuli illius aspectu mirandi verba et sapientiam et dicta consideraret, dicens: « Ego ut ministrum[2] eum intuebar. Deus vero scit qualis et quis fuerit. * Me autem valde adiuvit, et in urna potus mixtos ad me attulit, quos etiam admiratus sum, quam nitidi et mirabiles essent, et cuncti dolores mei mitigati sunt, et verba sapientiae et sanitatis quae ore eius exibant, et ipse etiam mirabar an talis in xenodochio vestro aegros curaret ». Posthac igitur, gratiam quae in nobis effecta est mirati, Deo gratias agere debemus qui omnia misericordia sua perficit, qui ipse adulescentuli illius visionem scit quid fuerit, per quam ipse nos visitavit et in tribulationibus nostris levavit.

*p. 65.

Caput VII, de inclusionibus necnon exsilio[4] eiusdem Iohannis. — Cum enim hic Iohannes ita inclusus duodecim menses et novem dies complevisset post inclusionem eius superiorem in domo episcopii secundam, deinde rursus, cum ita[5] etiam Iohannis sirimensis malitia non placata esset, iussit et e xenodochio amotum ad insulam maris rursus eum expulerunt, qua etiam in tribulatione dura eum similiter incluserunt, cum mandasset ne quis familiarium eius cum eo omnino loqui rursus sineretur. Et, cum in eadem insula etiam menses viginti octo complevisset, castigatio divina, terribilis et mirabilis et horrenda, ambas partes[6] consecuta est. Itaque tandem mise-

[1] μαίστρος. — [2] ὑπηρέτης. — [3] ἀββᾶς. — [4] ἐξορία. — [5] Ms « hic », sine sensu. — [6] Sc. imperatorem et patriarcham, vide p. 53.

runt *et* eum mandato Caesaris Tiberii inde amotum in urbem introduxerunt. Itaque plus quam tres menses urbem in custodiis habitabat, usque ad obitum persecutoris Iohannis sirimensis. Quae omnia in multis ad multos epistulis ab eo scripta
5 inveniuntur, cum visione adulescentuli illius qui eum visitabat. * Nec qui anteriora et posteriora leget miratus sit si ea inter se differre inveniet, et minus et plus dicere; quoniam etiam nonnisi pauca tantum ex eis nec ipse quidem [1] in Dei gloriam protulit, multis *rebus* ob prolixitatem nimiam neglec-
10 tis ac praetermissis ⌈et alicubi aliqua eorum quae commemorata sunt supervacuo protulit, et praesertim in quibusdam rebus [2] sive de visione sive de ceteris aliis *rebus*, sicut neque hic quidem nonnisi breviter tantum scriptae sunt, ut in memorias parvas sint, ne, si prolixitatem multam historiarum nar-
15 rabimus, ab eis qui postea ea legent molestissima censeantur.

* p. 66.

Caput VIII, de Pauli a domo episcopii fuga. — Cum igitur Paulus Antiochiae iam opinione Diphysitarum confirmatus esse iam [3] creditus esset, et Iohannes patriarcha, cum eum multum formidaret, *eo* gauderet ut consilio in mentem eius exci-
20 tato fugeret, neu amplius custodiretur, tum, cum in domo episcopii tempus *aliquantum* complevisset, die quodam noctu inter populum descendit, et aufugit et abiit et in loco secreto celatus est. Et in tempus quaesitus est, nec inventus, *ita* ut Iohannes propter regis timorem statim ingressus eum de Pauli fuga
25 certiorem fecerit. Quamobrem, cum audivisset, stupuit et ira impletus omnes transitus claudi iussit, et omnes naves perlustrari, et omnes domus transitus (?) [4] totius urbis, et villas, et monasteria omnia. Et ipsa * sepulcra aperiebantur, et intra conditoria mortuis plena propter eum perlustrabant. Et tan-
30 dem in omnem regionem et urbem sedulo scriptum est, ad episcopos et rectores [5], lineamentis eius etiam designatis, ut cognosceretur et comprehenderetur, nec inventus est. Et tandem frater eius qui erat comes [6] navium comprehensus est, et in tribulationem incidit. Is autem intra urbem, ut dicunt, celatus

* p. 67.

[1] Sic. — [2] Locus corruptus; emendationes incertae. — [3] Sic iteratum. — [4] Deversoria(?). — [5] ἄρχοντες. — [6] κόμης.

erat in armario parieti infixo novem menses; et deinde postea exiit et discessit *et* in regione Arabiae delituit, consciis ⌜viris aulae Mondir[1] filii Harith, usque ad tempus supradictae castigationis terribilis.

CAPUT IX, de glorioso Andrea reginae cubiculario et sacellario, et de certaminibus[2] quibus certavit. — Eo igitur tempore, cum omnes timore opprimerentur, ob regis minas multas duras et terribiles multi conturbati sunt, et communioni se submittebant, etenim rex die festo mandaverat: « Quisquis mecum *eucharistiam* non recipiet, mihi salutem non dabit ». Ob hoc multi perturbati sunt, et ad communionem eorum adducti sunt, paucis tantum exceptis, qui mortem in se ipsos decreverant. Itaque multi timore oppressi sunt.

Hic vero dictus Andreas sacellarius zelo fidei acer et ardens erat, et morum praestantium a pueritia studiosus, et in ieiunio et oratione assiduus. Ab ipso autem persecutionis initio multi cubiculariorum et cubiculariarum, et ipse etiam ipsius reginae praepositus[3], cui nomen fuit Stephanus, qui a diebus Theodorae reginae orthodoxi erant, timore inducti sunt ut Synoditarum cum rege communioni se submitterent, hic autem solus, * fidenter cum morte luctatus, obduravit et viriliter perstitit, cum iam reges[4] et ceteri omnes cubicularii ambarum partium[5] qui eis placere quaerebant, cum eo pugna et disceptatione starent; nec universos omnino metuebat, nec a certamine contra omnes *suscepto* cessabat vel laxabatur. Quamobrem rex mortis minis terribilibus et duris erga eum semper utebatur, is autem ne unum quidem verbum omnino concedebat, nec ei obsequebatur, nec eum metuebat, donec *rex* indignaretur; et semel suis manibus ira sua eum percussit, quod ei cum fiducia[6] audacter adversabatur, dum cum eo dicit et audit[7]. Et is quidem ab eo postulabat ut ab eis qui synodum sustinebant *eucharistiam* acciperet, ille autem contendebat et ei adversabatur, dicens: « Confiteor vos dominos meos esse et me servum vestrum; et corpus meum in manibus vestris est,

* p. 68.

[1] Vel « Mondir et sociis eius ». — [2] ἀγών. — [3] πραιπόσιτος. — [4] Sc. rex et regina, et ita saepius infra. — [5] Sc. imperatoris et imperatricis. — [6] παῤῥησίᾳ. — [7] Sic; id est « disputat ».

ut quod vultis eo faciatis. Animae vero meae non imperatis, quae in Dei manibus est. Et fides mea aeterna est, nec vos nec alius *eam* mutabitis, quoniam in Deo credidi », praeter multa quae cottidie sine fine inter eos dicebantur. Et, quoniam reges 5 ambo propter ingenuitatem eius et praestantiam, itemque propter mentem eius et scientiam eum diligebant, eum subigere magis[1] studebant et non palatio[2] suo eum eicere. Quamobrem coram multis rex dicebat: « Hoc audace qui nobis adversatur nec paret quid faciemus? quod aliam mentem et cere- 10 brum qualia ei sunt hic non habemus, et eum eicere non quaerebamus; ceterum ut ei nobis non parenti ignoscamus fieri non potest ». Itaque haud paulum tempus eum perferebant, dum sperant se eum conversuros. Et, cum * eis non obtem- * p. 69. perasset nec morem gessisset, postremo sententiam breviter in 15 eum dederunt, dicentes: « Aut pare nobis et oblationem nobiscum sume, aut palatio[2] nostro exi ». Is autem, cum vidisset, statim paragaudem suam exutam ante eos deiecit, dicens: « Gratiam hac maiorem mihi nunquam fecistis, quod me ministerio servitii hominum liberatum in ministerio et servitio eius 20 qui me creavit et in mundum introduxit stare facitis, et ei soli servitium praestare ». Itaque palatio[2] egressus est, et abiit *et* in palatio[2] quod vocatur Hormisdae in tribulatione inclusus est. Et post dies multos regis curator[3] ad eum missus est ut ei blandiretur itemque eum terreret, et videret an concessis- 25 set ut cum eis *eucharistiam* reciperet neu locum suum perderet. Is, cum profectus esset et multum ei locutus esset, cum eum admoneret et lactaret et obsecraret, et cum eum non concessurum vidisset, minas et terriculas incepit, dicens: « Tibi ipsi consule, ne id quod iussus sum tibi inferre cogar ». Ille 30 vero statim inclinato collo cervicem ante eum extendit, dicens: « Inter homines viventes non eris[4], nec Deus tibi gratias aget, nisi gladius tuus tecum veniet[5]. Et en collum meum adime; nec te latuerit, sive te sive eos qui te miserunt, me communionem cum eis qui Dominum nostrum Iesum Christum in duo 35 dividunt numquam omnino vel habuisse vel posthac habitu-

[1] μᾶλλον. — [2] παλάτιον. — [3] κουράτωρ. — [4] Cf. p. 4, 42. — [5] Requiritur potius « venit ».

rum, avertat Dominus; nec Deus vobis gratias aget, nisi statim caput meum adimetis, et me vitam hanc molestam effugere facietis ». Quae cum curator [1] audivisset, ingressus regibus indicavit; qui cum audivissent eo obstupuerunt, itemque de eo contristrati sunt; et, spe obsequii eius, eum in monasterio 5
*p. 70. quod vocatur *Dalmatii [2], quod omnibus monasteriis quae in urbe et in omnibus suburbiis eius *sunt* superius est, ire [3] *et* includi iusserunt. Itaque eum eiecerunt et die deduxerunt, coram omnibus in terrorem. Is autem gaudebat et laetabatur et Deo gratulabatur, cum custoditus urbem inter universum populum 10 transiret, ut iret et pro fidei veritate includeretur, dum turba [4] multa reginae sacellarium qui mundi potestatem exuerat et abiecerat, et pro fidei veritate in custodiam ducebatur videre festinant.

Quamobrem, cum omnes eo obstuperent, tum multi Deum 15 laudaverunt qui eum confirmaverat ut mundum adeo contemneret, et multi fide stabiliti sunt, quod eum ita laetantem et gaudentem videbant, et Deum laudant. Monachi vero et alii qui eum deducebant penulae [5] eius cucullum arripiebant, ut caput suum operiret, quem is pandebat, dicens: « Mihi iacta- 20 tio magna est ut propter Christi fidem moriar et ut nemo iactationem meam evacuet [6] ». Itaque abiit et in monasterio tempus trium annorum inclusus est, et ita tandem post castigationem [7] solutus est, et extra palatium [8] relictus.

CAPUT X, de misericorde Sophia regina, quae fuit ortho- 25 doxa. — E temporibus igitur Theodorae reginae cuius anima requiescit, amitae suae, ipsa etiam misericors Sophia regina, e temporibus adulescentiae suae et usque ad spatium trium annorum antequam regnaret, cum orthodoxis oblationem recipiebat, cum omnem cum Synoditis, Diphysitis videlicet, communionem 30 vitaret. Id omnes manifesto sciunt. Presbyter enim quidam
*p. 71. etiam, *cui nomen fuit Andreas, ingrediebatur et in domo eius offerebat, et ei et cunctis domesticis eius dabat, et, quando oblatio seponebatur, ei praecipiebat *Sophia* ut unam particulam [9]

[1] κουράτωρ. — [2] Ms. « Dalmatiorum ». — [3] Sic. — [4] ὄχλος. — [5] βιῤῥόν (sic). — [6] I Cor., IX, 15. — [7] Vide p. 53. — [8] παλάτιον. — [9] Litt, « margaritam ».

in patina relinqueret et sub velo poneret, nullo alio sciente quis esset qui particulam[1] quae manebat sumpturus erat, praeter patriciam Sophiam. Et idcirco misericordem Iustinum eam clam sumere, cum ipse etiam Diphysitarum communionem vitaret, omnes putabant. De huius rei veritate nos testari non possumus, sed, audita opinione quae apud omnes *erat,* litteris eam mandavimus.

Quod autem ipsa ad Diphysitarum communionem venit ob causam huiusmodo factum est. Cum multis suaderent ut Iustiniano, cuius anima requiescit, suaderent ut Iustinum, sororis suae filium, Caesarem faceret, ille autem hoc praetermitteret, omnesque repelleret, tum tandem ad eam venit Theodorus, qui Caesareae episcopus factus erat, cuius poenam propter mala eius multa Deus solus scit, et dixit ei : « Scitote nondum avunculum[2] vestrum quemquam audire et sororis suae filium Caesarem facere, quia tui eum piget quod contra eum egisti, et cum adversariis eius *eucharistiam* recipis, nec cum eo recipis. Et quomodo vos secum ad regni gradum adducere potest cum contra eum manifesto sitis? Sed audi me, i *et* in ecclesia *eucharistiam* recipe, et regem conciliabis, et ipse vobis conciliatus erit ». Itaque huic paruit, et tribus annis tantum antequam regnaret cum synodo *eucharistiam* annos multos recepit.

* Caput XI, de tribus consulibus[3] qui et ipsi obduraverunt *p. 72. et in constantia sua fortiter perstiterunt. — Hi igitur tres consules[3] quibus nomina Iohannes et Petrus et Eudaemon, cum propter vitam spiritalem vitas suas corporales pro vera in Christo fide contempsissent, et obdurassent et perstitissent et sese cum eis qui Christum dividunt non communicaturos ostendissent, tum ira[4] mortalis in eos fuit et vultus ab eis aversi sunt, sed eos, cum iam tentationem, et substantiarum[5] suarum et domuum et omnium quae possidebant iacturam semper exspectarent, et adeo ut omnes perniciem plenam in eos decrevissent, Deus protexit, qui eos propter nomen eius pro veritate verae in eo fidei cum morte certare viderat.

[1] Litt. « margaritam ». — [2] θεῖος. — [3] ὕπατοι. — [4] Ita constructio mutatur. — [5] οὐσίας.

Quoniam enim senatores [1] multi et cubicularii et ceteri primores Chalcedoniorum communione ob metum illigati erant, et querimonia quae propter vim et necessitatem [2] multis adhibitam *facta est* a rege audita erat, dixit tandem coram senatoribus [3] cum ostendere quaereret sese neminem vi adducere, 5 etsi omnes vi qua non fuit durior adducerentur, Deus ei in mentem iniecit dicere [4]: « Ita nos neminem vi adduximus, nec adducemus; eos qui nobis non assenserunt ut nobiscum *eucharistiam* reciperent, voluntati eorum relinquimus ». Hoc consilium et sermo hos sublevavit, nec in ratione fidei ulla *re* appeti- 10 ti sunt, sed tandem et ad honores pervenerunt, et ad fiduciam [5] magnam. Itaque gloriosus Eudaemon, qui [6] ⌜comes rei privatae⌝ [7] fuit, et gloriosus Iohannes, qui generis [8] Anastasii regis erat, necnon Theodorae reginae ex filia nepos, ei et Petrus, qui ipse *p. 73. generis [8] domus Petri *patricii *erat* et reginae curator [9], ipsi 15 tandem missi sunt tractatus [10] cum Persis pro tota republica [11] Romanorum facturi, cum constantiam suam fiducia [5] magna, ut ab initio, retinerent. Iohannes vero patriarcha nomina eorum e diptycho amovit, *id* quod gaudium magnum eis effecit, dicentibus: « Nunc Deum nos probasse cognovimus, et nos in- 20 tuitum esse, ne super oblatione eorum qui Christum post unionem veram et indivisibilem in duo dividunt commemoremur ».

Caput XII, de duabus mulieribus nobilibus, quae et ipsae obduraverunt et viriliter perstiterunt. — His duabus mulieribus praeclaris, cum aliis multis patriciis et ceteris, bellum vehe- 25 mens ab omni parte illatum est minis duris ignem exhalantibus et mortem minitantibus. Et ceterae ob severitatem miseriae persecutionis certamine [12] defessae, propter bona sua et domos et liberos et substantias [13], se communioni specie [14] tantum submiserunt. Hae autem duae obduraverunt et ad mortem 30 perstiterunt, cum sese morti tradidissent, et possessiones et liberos et domos contempsissent. Una vero earum, cui nomen fuit Antipatra, haec [15] socrus fuit Iohannis consulis [16], de quo

[1] συγκλητικοί. — [2] ἀνάγκη. — [3] σύγκλητος. — [4] Ita verbum principale per incuriam iteratum est. — [5] παῤῥησία. — [6] Ms. om. — [7] κόμης πριβάτων. — [8] γένος. — [9] κουράτωρ. — [10] τρακτᾶτα. — [11] πολιτεία. — [12] ἀγών. — [13] ουσίας. — [14] σχῆμα. — [15] Sic. — [16] ὕπατος.

in narratione antecedente dictum est, cum filia sua, quae ipsa consularis[1] *fuit* et fide acris, cui nomen Georgia uxor Iohannis. Altera autem, cui nomen Iuliana, filia erat Magni consulis[2], qui ipse tempus *alinquantum* in exsilium[3] cum liberis suis relegatus erat, et ipsa Iuliana etiam cum eo fuit, et ipse etiam generis[4] erat Anastasii regis. Erat vero etiam *Iuliana* et glos ipsius * regis Iustini, uxor fratris eius. Hanc igitur et Anti- (* p. 74.) patram, post certamen multum et luctam[5] virilem, ambas in monasteria condiderunt trans mare Chalcedone sita, cum mandata dura in eas data essent, et monasteriis quibus inclusae erant scriptum esset ut, nisi se *eucharistiam* recipere annuissent, tonderentur et habitu[6] nigro monachismi vestirentur, et ut omne opus servile monachismi[7] facerent ab eis postularetur. Quo duriora etiam eis imposita sunt, et ab eis postulabant[8] ut monasterium verrerent, et sordem efferrent, et latrinas earum abluerent et tergerent et in loco coquinae[9] ministrarent, et candelas[10] et lances tergerent, et cetera huiusmodi quae duriter postulabantur. Quamobrem, cum tot tribulationes perferre et sustinere non potuissent, ipsae etiam communioni chalcedoniae quod ad speciem[6] se submiserunt, ut solverentur et ex pressura[11] inclusionis horum monasteriorum exirent, si tamen[12] *ea* monasteria nominari oportet. Itaque solutae sunt et ad domos suas redierunt; et postea vitae quidem norma sua priore usae sunt, et tempus castigationis a Deo in ambas partes[13] *missae* advenit, itaque et his et omnibus laxamentum factum est.

Caput XIII, de Sergio et Sergio presbyteris, et de certaminibus quibus[14] certaverunt. — Hic igitur Sergius ipsius scriptoris presbyter et syncellus est, cum Sergio alio presbytero, et is quoque discipulus eius *est;* et, cum Iohannes in domo tribulationis[15] xenodochii[16] Eubuli[17] inclusus esset, postquam saepe certaverunt et comprehensi sunt et inclusi, tandem per proditionem fraudulentam aliorum, * proximi videlicet eorum cuius- (* p. 75.)

[1] ὑπάτισσα. — [2] ὕπατος. — [3] ἐξορία. — [4] γένος. — [5] ἀγών. — [6] σχῆμα. [7] Legendum fortasse « monasterii ». — [8] Sc. moniales. — [9] μαγειρεῖον. — [10] κανδήλη, — [11] ἀνάγκη. — [12] ἄρα. — [13] Vide p. 46 n. 6. — [14] ἀγών. — [15] Litt. « tribulationem patientium ». — [16] ξενοδοχεῖον. — [17] Εὐβούλου.

dam et qui specie[1] cum eis inclusus erat (hic autem proditor *erat* Iudae similis, tum et is[2] etiam comprehensus est et ad domum episcopii abreptus, dum eis qui eos comprehenderant resistunt et contra eos contendunt et cum eis acriter disceptant, et *raptores* in eos exacerbati sunt et coram turba[3] multa nudatos et distentos ante omnium oculos verberibus duris eos verberaverunt, nec fortitudinem eorum imminuere potuerunt. Eos, cum ita animose et viriliter perstitissent et certassent, ut persecutores ipsi eos admirarentur, deinde adductos in domo diaconici incluserunt, post inclusiones alias angustas et duras in domo episcopii bis, et semel in monasterio quod vocatur *monasterium* domus Rabbulae, Sergium videlicet supradictum syncellum[4]. Et ibi diebus duris frigoris et gelus *mensis* šebāṭ[5] dies quadraginta fuerunt, cum Iohannes patriarcha ad ipsum Sergium syncellum mitteret, eumque adsumeret, eumque admoneret et placaret et obsecraret, ut cum eo in domo episcopii eius esset, et ei cellarius[6] esset, dum ei iurat: « Te nobiscum *eucharistiam* recipere non cogam; sed, quoniam audivi te virum timoratum et monachum esse, apud nos mane, et es ut vis. Et, si manibus datis nobiscum *eucharistiam* recipies, statim te episcopum faciam in urbe quaecunque tibi placebit ». Et, cum is viriliter certasset, ita etiam nec promissis nec blandimentis eum a firmitate constantiae eius relaxare potuit. Quamobrem, cum fortitudinem eius et obstinationem vidisset, deinde eum missum in monasterio quod vocatur *monasterium* domus Rabbulae inclusit, et isti[7] fide haud mali erant ut * p. 76. * cetera monasteria, nec synodum Chalcedonis diligebant, nec eam omnino proclamabant.

Caput XIV, de Andrea incluso. — Cum igitur hic Andreas presbyter etiam foris in muro urbis in turri inclusus esset, clericos et romanos[8] in eum misit[9], qui, loco inclusionis eius diruto, eum expulerunt; et, dum eum trahunt et rapiunt, eum

[1] σχῆμα. — [2] Syncellus vel Sergius alter (?). Locus obscurus est et versio dubia. — [3] ὄχλος. — [4] Sic; significare videtur solum syncellum in diaconico fuisse, sid vide infra. — [5] Februarii. — [6] κελλαρίτης. — [7] Sic; monachi nempe. — [8] Sc. milites. — [9] Sc. patriarcha (?).

ducebant et mediam[1] urbem ingrediebantur. Is, cum turbam[2] multam vidisset, clamare incepit, « Vae! vae! o homines, christianus sum, itemque orthodoxus, et si qui trahunt pagani non sunt, et se christianos esse dicunt, quare christia-
5 nis persecutores et homicidae facti sunt? Et me quare rapiunt et inter vos transeunt, et a zelo pro Christo *ostendendo* vos continetis? ». Multa etiam alia huiusmodi clamabat, ita ut turba[2] multa congregaretur, et eos qui eum tenebant zelo acuto aspectarent ut eos occiderent. Hi cum totius turbae[2] iram
10 et zelum in se *excitatum* vidissent, aufugerunt et delituerunt. Itaque beatum Andream ab eis liberaverunt. Tandem vero eum iterum comprehensum miserunt *et* in monasteria Acoemetorum incluserunt. Ille, cum tempus *aliquantum* ibi fuisset, et multa facta essent, inde etiam aufugit; et postea rursus
15 observaverunt eumque comprehenderunt, et in domo episcopii incluserunt; et post disceptationem multam etiam inde aufugit.

Caput XV, de diaconia eorum qui aegros in urbis vicis iactos lavant. — Cum enim diaconias varias virorum et mulie-
20 rum * in hac magna urbe regia videre potes, duae diaconiae erant magnae et nobiles, et omnes orthodoxorum erant, una prima et magna, et quae a Paulo divino antiocheno instituta est[3]. Is zelo magno in urbibus magnis et nobilibus etiam in oriente et in occidente diaconias fecerat et instituerat, in qui-
25 bus verbum Domini nostri cernitur et perficitur. « Haec est requies mea, ut fessos requiescere faciam »[4], et in nulla earum ⌜quisquam ex[5] eis qui synodo Chalcedonis consentiunt prorsus omnino recipiebatur. Cum igitur tempus persecutionis advenisset, uni[6] *vir* quidam magnus, celeber et praeclarus,
30 cui nomen fuit Thallus, praefectus erat, et is hoc ministerium multis *modis* spiritalibus et divinis magis extenderat et auxerat, de quibus multa narrari ac scribi possent; quae[7] *diaconia*

* p. 77.

[1] μέσῃ; via principalis. — [2] ὄχλος. — [3] Diaconiae secundae mentio ad cap. sequens reservatur. — [4] Alludere videtur ad Matth., xi, 28, sed verba sunt Is., xxviii, 12. — [5] Ms. om. — [6] Sc. duarum initio dictarum, non diaconiarum a Paulo institutarum, quarum una tantum Cpoli erat, sed confusissime scribit auctor. — [7] Ita clausulae constructio mutatur.

cum adeo et nunc usque etiam floreat ut per diaboli invidiam accusatio in eam ante regem et episcopum facta sit, *nempe* omnes synodi Chalcedonis adversarios esse, et monachos et clericos multos eis commixtos esse, et conventus et synaxes et illapsus[1] in ea fieri, tum exinde beatus Thallus, ne bonarum *rerum* osoribus occasionem daret, omnes clericos et monachos qui cum eo *erant* expellere coactus est, itaque laici soli ministrabant. Quamobrem, cum haec potestatem tenentibus nota essent, itemque ut eum honorarent, quod viri vitae rationes admirabantur, totum tempus vitae eius ab eo abstinuerunt. Eius vitae finis nuper anno 888 factus est, et post eum constitutus est argentarius[2] quidam cui nomen Romanus.

* p. 78. * Caput XVI, de diaconia item altera secunda. — Hoc ipso tempore diaconiae alteri secundae praefectus erat clericus quidam cui ipsi etiam nomen fuit Cometas; et is etiam acer et eximius fuit. Erat vero clericus in domo dominae Mariae Blachernarum[3], et propter fidem cum aliis eiectus est. Is multos etiam congregaverat, a quibus postulabat ut secundum ordinem monachismi se gererent, cum ipse eos in omni re curaret. Huic igitur domus quaedam magna per hereditatem relicta est, in qua diaconia fieret, quod etiam factum est; et in illa ipsa domo omne ministerium pauperum perficiebatur. Eo vero tempore persecutionis ille etiam accusatus est quod synaxes faceret, et domus illa ei ablata est, et bullae[4] imperiales[5] in ea suspensae sunt[6], et diaconia ex ea exstirpata est; et ipse ad insulam quandam maris in exsilium[7] pulsus est; et omnes qui cum eo *erant* usque ad parvulos dissipati sunt. Pauci vero ex eis perseveraverunt, et abierunt *et*, loco alio sibi adsumpto, secundum ordinem ministrabant et pauperes lavabant.

Caput XVII, quomodo dehinc in omni regione persecutio excitata sit. — Ob causam igitur persecutionis quae in urbe regia excitata est, et tam sedulo et imperiose et continenter

[1] Sc. Spiritus. — [2] ἀργυροπράτης. — [3] Ms. « Blacernarum ». — [4] βούλλας. Ms. BWL's. — [5] δεσποτικός. — [6] In textu verbum singulare est. — [7] ἐξορία.

perficiebatur, persecutio dehinc vehemens in omnibus regionibus Romanorum excitata est, ubicumque orthodoxi inveniebantur. Persecutio igitur per litteras a Iohanne patriarcha * et ceteris *missas* in eos excitata est; et ad instar fluctuum maris erecta erat, et ut fornax Babyloniorum calore multo, quae non ut illa calamis et stipitibus et ceteris materiis[1], sed haec[2] ira et stomacho et excidii ac caedis aviditate haec[2] flagrabat et formidulose et atrociter inflammabatur, itemque iis quae haec omnia comitantur, bonorum videlicet ob hanc causam direptione et opum rapina, et iterum custodiis angustis et vinculis duris, et cruciatibus et verberibus et exsiliis[3] et ceteris *rebus* in omni regione et urbe et agris[4] earum.

* p. 79.

Caput XVIII de eis quae a catholico Dovin urbis, quae in Armenia Maiore Persarum *est*, et *a* ceteris episcopis sociis eius in urbe regia narrata sunt. -- Quoniam igitur de rebus nos tunc tantum scripturos promisimus quando earum spectatores fuimus et tentationibus variis quae in eis *fuerunt* propinqui, et totum tempus de quo disseruimus earum pars fuimus, nunc[5] autem placuit nobis ut ea quoque litteris memorialibus tradamus quae non ab hominibus mediocribus vel tenuibus in urbe regia nostra Romanorum ante multos narrabantur, quae et in regionibus Persarum etiam acciderunt. Haec, etsi ipsi non vidimus nec cognovimus et veritatem eorum utpote a regionibus ubi gerebantur remoti testificari non possumus, *ita* tamen *referemus* ut ab ipso catholico magno Dovin urbis magnae, quae in Armenia Persarum *est*, et *a* ceteris episcopis sociis eius coram omnibus narrata sunt, cum fugissent et venissent et ad regnum Christianorum confugissent et a regibus victoribus magno honore recepti essent, *quae* illi accurate ut iurabant et coram multis narrabant, * quae haec sunt.

* p. 80.

Cum magi illorum itemque primores regni Persarum didicissent quasi mandato et voluntate regis Romanorum eum[5] in omni regione et urbe totius imperii sui ab omnibus qui in tota civitate[6] eius *erant* postulasse ut se submitterent et ad eius ipsius fidem venirent, et quicunque contenturi essent

[1] ὕλας. — [2] Supervacaneum. — [3] ἐξορίας. — [4] χώρας. — [5] Sic
[6] πολιτεία.

nec mandato eius ac voluntati parituri mandasse ut exterminarentur et includerentur et spoliarentur, denique vitae excidio traderentur [1]. « Et en haec in omnibus regionibus Romanorum geruntur, et iam nos etiam oportet ita et in nostris regionibus agere, et omnes religiones quae in nostra dicione *sunt* ad religionem nostram convertere ».

Caput XIX, de eis quae a magis Chosroi regi eorum dicta et gesta sunt. — Deinde (ut dixerunt) omnes magi convenerunt et Chosroi regi suo dicunt: « Rex, in aeternum vive [2]. En Caesarem Romanorum didicimus ab omnibus qui in toto imperio eius *sunt* postulare eosque impellere et subigere ut ad religionem eius et fidem propriam veniant, et a multis in cunctis suis ipsius regionibus postulare ut religionem eius adorent, et quicumque ei non pareant ex toto imperio suo expellere et exterminare. Sic mandet etiam tua ipsius deitas ut in imperio tuo etiam ita fiat, ut omnes religiones ad tuam religionem veniant, et omnes qui in imperio tuo *sunt* quod a te adoratur adorent, et qui mandato tuo resistere audebunt moriantur ». Quamobrem (ut dixerunt), cum Chosroes rex haec a magis audivisset, verbis eorum concessit et consilium eorum accepit, et ipse etiam a Christianis statim incepit, et primo (ut dixerunt) misit *et* tres episcopos comprehendit *p. 81. * cum cleri multitudine ⌜et populo multo [3], eisque mandavit ut fidem suam negarent et ignem et solem et ceteras religiones eius cum eo adorarent. Quamobrem hi cum eo contenderunt eique viriliter restiterunt, dum confitentur et dicunt, « Nos regum [4] christianorum sumus, et Deum caeli et terrae et marium et omnium quae in eis sunt factorem adoramus et honoramus, nec, eo relicto, qui est *mundi* universi creator, creaturas eius adorabimus. Noli errare, rex. In corpora enim nostra dicionem habes, ut id quod voles eis facias. Animae autem nostrae eius et in eius manibus sunt, et tibi in eas nulla omnino dicio est ». Quamobrem (ut dixerunt), cum haec et alia multa

[1] Nisi excidit aliquid, clausula sine verbo principali relicta est, et auctor ad orationem rectam subito transit. — [2] Cf. Dan., v, 10. — [3] Ms. 'populi multi'. — [4] Sic ms., sed fortasse ܕܡܠܟܐ ܕ. legendum est et vertendum 'Regis'.

episcoporum testimonio digna rex audivisset, mandavit et protinus deglupti sunt et mortui, cum multis aliis malis quae inter Christianos fecit, et monasteria et ecclesias multas evertit, et multos in vincula et carceres coniecit, et cor eius elatum est, 5 dum in Christum blasphemat et dicit: « Videamus quid mihi Christus deus Christianorum facturus sit, qui quis vel quid sit ego nescio ». Haec cum multis *rebus* hoc tempore a rege Persarum dicta et facta esse, antequam Armenia Romanis se dederet, hi episcopi narrabant. Et ob hanc (ut dixerunt) causam 10 ignis domos in tota Armenia Persarum aedificari iussit.

Caput XX, de initio incitationis regis Persarum in Christianos qui in Armenia Maiore erant, et ceteris *rebus*. — « Post haec omnia » (dixit catholicus et socii eius) « deinde marzbanum quendam ad regionem nostram misit cum * duobus * p. 82. 15 milibus equitum armatorum eum comitantibus. Is primo ad nos in urbem nostram venit, mandatum portans ut ignis domum in regis adorationem ibi aedificaret. Quamobrem », ut catholicus narrabat et dicebat, « cum mihi et civibus mandatum ostendisset, zelo fervui et ei restiti, ego et cuncti cives, et dici- 20 mus, ' Regis regum servi sumus et tributum[1] ei pendimus. Christiani vero sumus, et fidei ratione non subiecti sumus, quamvis nobis pro fidei nostrae veritate mori necesse sit. Etenim temporibus etiam Saporis regis regum hoc factum est, et domum adorationis hic aedificare quaesivit, et regionis in- 25 colae convenerunt et bellum fuit annos septem; et deinde legem[2] dedit et mandatum nobis fecit, ne amplius ratio christianismi umquam requireretur vel investigaretur'. Ostendimus vero ei et typum[3] etiam mandati Saporis regis, nec obtemperavit, sed vi ut mandatum erat fundamentis metandis et fodien- 30 dis et iaciendis incubuit, et aedificare incepit, cum ad belli contentionem etiam integre paratus esset, quamquam eum valde obsecravi, nec mihi obtemperavit vel me omnino adspexit. Tandem vero in omnem locum ad omnes regionis incolas hunc nuntium misi. Quamobrem, cum audivissent, zelo pro fide quae in 35 Christo *est* fervuerunt, et omnes sicut unus vir convenerunt, decem circiter milia ad pugnam armati, ut aut viverent aut ut[4]

[1] συντέλεια. — [2] νόμος. — [3] τύπος. — [4] Sic.

pro Christo morerentur, nec domum magismi et paganismi in regione sua aedificari omnino sinerent. Quamobrem, cum cuncti primores et regionis principes convenissent, tum marzbanum illum ad *locum* ubi ignis domum aedificare inceperat adivimus; et multa cum eo diximus, ei adversati et dicentes: * 'Nos christiani sumus, et regi regum subiecti, fidei vero ratione hominibus subici non possumus nec accipimus, et domus paganismi, si rex ipse advenit, in regione nostra in secula seculorum non aedificabitur, antequam omnes moriamur. Sed sine pugna et sine caede a regione discede, et regem adi, et eum de animi nostri pro fide nostra proposito certiorem fac; cui id quod iubet facere licet. Donec enim omnes moriemur magismi domum in regione nostra aedificari non sinemus' ».

* p. 83.

Et, cum multum alteri alteris locuti essent, et marzbanus ut iussus erat aedificare paratus esset, cum regionis incolis contendebat eosque obtestabatur, dicens: « Videte vos mandato regis regum resistere, eumque sugillare; qui mortem malam in vos decreturus est. Videte quid faciatis ». Cum autem (ut dixit) marzbanus eorum contra se propositum ac consilium vidisset, necnon eos se fortiores esse vidisset, dum eis minitatur eosque obtestatur, discessit, et ira magna abiit et regem de omnibus his *rebus* certiorem fecit. Is, cum didicisset, ira excitatus est et graviter stomachatus; et, morte in omnes regionis incolas decreta, cum eodem marzbano quindecim milia in eos ad bellum misit, et mandavit ut si contra mandatum eius contenturi essent trucidarentur, et templum [1] ignis ibi aedificaretur.

Regionis autem incolae, cum haec didicissent, omnes una convenerunt, viginti circiter milia qui pro christianismo suo pugnare parati erant ut usque ad mortem dimicarent. Cum hi advenissent, et omnes in eos ad pugnam instructi essent, hi clamaverunt: « In nomine Domini nostri Iesu Christi », et contra eos exierunt; et Christus eos ante ipsos regionis incolas profligavit, eosque omnes trucidaverunt ut unum virum. * Et marzbanum occiderunt, et caput eius sumpserunt, et ad patricium Iustinianum attulerunt, qui illo tempore in urbe Theodosipoli [2] in limite considebat. Et haec omnia facta sunt, et cetera posteriora, de quibus sermo et narratio praesens nimia est.

* p. 84.

[1] ναός. — [2] Sic.

Caput XXI, de eis quae postea a Chosroe in Armenia Persarum gesta sunt, et quod ab eo declinaverunt, et tota regio se Romanis dedidit. — Cum enim haec facta essent, et tota regio Armeniae Maioris bellum vehemens a regno impio Per-
5 sarum in se excitatum esse vidissent[1], regio universa, utpote christiani, convenit, et cucurrerunt apud regnum Christianorum perfugium comparaturi, dicentes: «Nos dehinc servi sumus regni Christianorum, et ad regnum Romanorum in perfugium decurrimus, ut nos magismi atrocitate eximat», cum aliis multis
10 quae coram regibus[2] nostris misericordibus, et coram omni senatu[3] catholicus et ceteri episcopi qui cum eo *erant* narrabant, quorum memorias paucas tantum protulimus, nam id quod narrabant, belli certamina et caedem magnam nostris temporibus ibi fuisse, et postea etiam exercitus sibi invicem incidisse, et Per-
15 sas saepe victos esse et elephantos eis ablatos, nos in praesens propter multitudinem eorum omisimus.

Caput XXII, de eisdem *rebus* quae ab ipso catholico et sociis eius narrabantur, et de ceteris *rebus*. — Haec igitur omnia cum aliis multis *rebus* * catholicus Dovin, quod in regione Armeniae * p. 85.
20 Persarum *est*, in urbe regia nostra Romanorum coram multis narrabat, ipse et episcopi et ingenui multi qui cum eo *erant*. Cum advenisset, ipse et ceteri episcopi, et pars primorum regionis Armeniorum cum eo, omnes magno honore recepti sunt, et dona et xenia regia receperunt, et dignitates magnae eis
25 datae sunt, cunctis qui cum eo inde venerunt, et domus magnae et palatia regia ingentia; et eis qui in ipsa regione *erant* aurum multum missum est et dignitates, itemque remissio *in* tres annos a rege Romanorum, et eos adiuvare et pro eis cum Persis dimicare et pro tota terra Armeniae iussi sunt[4], regione obtenta;
30 quod etiam factum est tempus multum, et populus magorum ante Christianos saepe ceciderunt[5] quando eos adorti sunt. Et hac pugnae tempus sex annorum durabant.

De *rebus* autem posterioribus tempore proprio pauca e multis de eis[5] referemus[6]. Catholicus vero post tempus duorum an-

[1] Sic. — [2] Sc. rege et regina. — [3] σύγκλητος. — [4] Sc. Romani. — [5] Sic. — [6] In libro VI.

norum in ipsa urbe regia mortuus est, nec ad regionem suam descendit.

Caput XXIII, quomodo initio, cum episcopi armenii ad urbem regiam advenissent, simplicitate ingressi sint et a Synoditis *eucharistiam* in ecclesia receperint. — Ab ipso igitur initio, quando catholicus Armeniae et ceteri episcopi et primores qui cum eo *erant* ingressi sunt, ut homines qui a regno magorum impio et pagano fugerant, et apud regnum Christianorum perfugium petituri advenerant, statim ut ingressi erant et recepti

* p. 86. erant et magnifice honorati, * inquisitione non facta, ingressi cum urbis patriarcha sine inquisitione confidenter *eucharistiam* receperunt, cum rationem discidii et contentionis non perciperent, quae, ob causam flagitii synodi quae Chalcedone fuit, in omnibus ecclesiis regionum terrae Romanorum est. Quamobrem, cum in regione eorum hoc auditum esset, in eos irati et ceteri episcopi et omnes regionis incolae aspera eis scripserunt, quae ut silentio velentur tempus poscit. Itaque se retraxerunt et separaverunt, et exinde omnes una in palatio quodam magno quod uni e primoribus eorum donatum erat sibi synaxem fecerunt, et ibi conveniebant synaxi amplissima, post mortem catholici sui.

Caput XXIV, de eis quae postremo gesta sunt, cum Armenii se dedidissent, et quomodo historiis earum *rerum* narrandis ob copiam multitudinis earum supersederimus et temperaverimus. — Cum igitur multa esse quae temporibus et diebus nostris acciderunt reputemus, et praesertim nunc tempore postremo, et quae terminos et litteras excedunt, et praesertim quae postquam Armenia Persarum Romanis se dedidit *facta sunt*, quod anno 880[1] Alexandri fuit, *ita* ut hac de causa pugnae assiduae et crebrae ab omni parte excitatae sint, et caedes in stomachum et sanguinis effusionem multam facta sit, et quomodo[2] rursus magus procacitate sua elatus exercitus Romanorum qui in Armenia *erant* impugnaverit, utpote qui se eos trucidaturum et perditurum putavisset, et, cum hoc *facere* non potuisset, ab

[1] Corrigendum fortasse '882' (Smith, p. 127; Dyakonov, p. 312). Cf. VI, xi. — [2] Clausula aliter continuatur, et sine verbo principali relicta est.

eis declinaverit, et Armeniam Romanorum invaserit, cum se Caesaream Cappadociae expugnaturum et direpturum[1] putaret, et, cum copiae * eum circumsedissent et Cappadocia etiam arcuissent, conversi eum impugnaverint, et impedimenta eius omnia prorsus abstulerint, et cum ignominia reversus sit, et, si duces copiarum inter se consensissent, nec vivus quidem reversus esset; et quomodo etiam rex Romanorum Armenios[2] muneribus et donis et officiis ditaverit et auxerit; et quomodo etiam tota Armenia Persarum, cum se dedidisset, a Romanis subiugata et occupata sit, et, cum saepe prospere gessissent et populos alios qui validi essent vicissent et subegissent, tandem ob malas ducum rationes, aut quoniam Dei iram valde irritassent, cum numero centum milium haud pauciores essent, ante marzbanum quendam contemnendum, qui secum triginta milia non haberet, totus exercitus Romanorum territi[3] fugerint, et arma sua et equos perdiderint et ignominia adfecti sint, et post haec Perses elatus et confirmatus Armeniam totam occupaverit et subegerit, et tota regio promissum ab eo rogaverint[3], et eis dederit, et tota regio praeter eos qui ex eis Constantinopoli adfuerunt se ei dediderit tempore septem annorum postquam ab eo defecerunt et cum eo dimicaverunt; et quomodo etiam post haec legati primores utriusque regni res scrutaturi missi sint quae inter duo regna commotae erant, et praeterea ut etiam de pace colloquerentur, quod etiam factum sit, et cum plus quam annum contra se invicem consedissent, et secum invicem collocuti essent et deliberassent et litigassent, nihil effecerint, cum primo Perses postulasset ut auro accepto pacem faceret, et contra hoc rex Romanorum viriliter excitatus esset, dicens: « Hic aurum a nobis poscit, quasi ab eo qui eum timeat et ei subiectus sit; sciat se dum vivimus unam * minam non percepturum, ne id quidem quod nunc usque a nobis accepit, et, nisi honoratione *quae* regia maiestate digna *est* cum regia maiestate acturus sit, pacem cum eo nos non facturos », cui *rei* etiam cum Perses tandem se submisisset, nihil factum sit[4]; cum multis aliis *rebus* huiusmodi, quarum narrationes libri multi non continebunt, et ceteris

* p. 87.

* p. 88.

[1] Vel 'captivos ex ea abducturum'. — [2] Ms. 'Armeniam'. — [3] Sic. — [4] VI, VIII-XXI.

bellis et mundi et ecclesiae, quibus ob multitudinem eorum temperavimus.

Caput XXV, de castigatione terribili ac dura iudicii iusti Dei, quae in ipsa violentia persecutionis subito ambas partes[1] pariter consecuta est. — Hoc igitur tempore vis et completio 5 doctrinae apostolicae apte reapse apparet quae dicit, « Revelatur enim ira Dei de caelo super omnem iniustitiam et impietatem hominum, qui veritatem in iniustitia detinent »[2], et cetera. Quoniam igitur Christiani hoc tempore praetextis frivolis persecutiones duras et vehementes in Christianos sine 10 misericordia et contra omnem Dei timorem suscitaverunt, atrociter et barbare et parum christiane, 'leonis instar ad praedam rugientis, et sicut catulus leonis habitans in abdito '[3], propter hoc Dominus ante ora eorum surrexit eosque prostravit, quemadmodum manifesto coram omnibus manifestatum et cognitum est; 15 qui[4] cum carnis suae socios omnem videlicet populum orthodoxorum irae zelo omni procacitate inordinate, non autem ordine pacato iuste et christiane tractarent, cum persecutiones intensas sine misericordia excitassent, et inclusiones amaras et tenebras angustas mandarent in Dei servos, homines senes et aegros 20 * p. 89. et debiles * et graves, et exsilia[5] crudelia et omni Dei timore carentia decernerent, dum eos qui ab eis vincti et inclusi erant fame et siti et familiarium absentia cruciari iubent, et ⌜quos in locis *in* quibus relegatos relegabant coercebant[6] sine misericordia eos tractaturi, omnibus modis eos cogentes, ut fortasse ob 25 pressuram[7] et tribulationes duras et tentationes coactorum voluntati se submitterent, et alios secundum voluntatem suam coegissent et subiugassent et subiecissent, cum, sacerdotio etiam quod a temporibus longinquis *fuerat* hominum orthodoxorum sine lege[8] et contra omnem ordinem canonicum abrogato, eos 30 denuo crearent, sacerdotes et principes sacerdotum, et cetera multa huiusmodi, de quibus tempus nobis brevius est quam ut disseramus. Haec, ut etiam cognitum est, nec Dei iustitia toleravit et sustinuit, sed subito et confestim sententia et ira

[1] Vide p. 46, n. 6. — [2] *Rom.*, I, 18. — [3] *Ps.* XVII, 12. — [4] Clausula sine verbo principali relicta est. — [5] ἐξορίας. — [6] Vel 'qui in locis *erant* in quibus... relegabant coercerent'. — [7] ἀνάγκη. — [8] νόμος.

de caelo in tantam crudelitatem et atrocitatem, in eos videlicet qui sine frenis timoris Dei ea utebantur, missa est, in Iohannem videlicet patriarcham, et in regem qui ab eo blandimentis adfectus eum his *modis* uti iubebat. Ambo enim una irae virga vapu-
5 laverunt, et unam sententiam, ut spiritibus malis traderentur, acceperunt, praeter cetera quae interea *acciderunt,* quae multa sunt, terribilia et horrenda, quae propter sacerdotii et regiae maiestatis reverentiam a nobis silentio in praesens operiantur, quae cum a daemonibus quibus unusquisque eorum traditus
10 est[1] tempus haud parvum agerentur et ostenderentur et dicerentur, quae[2] quamvis terribilia et gravia sint, secundum testimonium omnium hominum horum temporum nostrorum non mentiti sumus.

* Caput XXVI, de languore et cruciatu qui Iohannem siri- *p. 90.
15 mensem oppressit, itemque quod a daemone totum tempus vitae suae castigabatur, quod videlicet persecutiones sine misericordia suscitavit. — Post vero castigationem terribilem quae in episcopum et in regem missa est Iohannes episcopus, per operationem et incitationem eius qui in eo intus operabatur, ad fideles
20 persequendos magis se parabat, et minis atrocibus et duris ab omni parte sine intellegentia et sine consilio recto se cottidie in eos parabat, quamvis a spiritu malo interdum castigaretur, *ita* ut Iudex aequus magis etiam ei iratus viscerum plagam praeterea et dysenteriam in eum miserit cum dolore amaro
25 podagrae; itaque insanabiliter dehinc vexabatur, et dolor dolori et plaga plagae ei cottidie addebantur, cum cura multa a medicis multis ei adhiberetur, nec levamentum nec auxilium apud eum prorsus videbatur, sed, ut incantatores coram Pharaone confessi sunt: « Digitus Dei est »[3], ita is etiam dehinc, quamvis
30 necessitate[4], castigationem in se de caelo missam percepit, et lacrimis dolorosis medicis dicere orsus est: « Cur, filii mei, de me misero dehinc laboratis? nam plagis meis mederi vos non potestis, quoniam sententia aequa, quia iram provocavi, tot plagae de caelo in me missae sunt, et homines eis mederi non possunt.

[1] Ita correxi. Textus codicis verti non potest. — [2] Ita clausula aliter continuatur, verbo principali omisso. — [3] *Ex.*, VIII, 19. — [4] ἀνάγκη.

Nunc enim novi et intellexi, quemadmodum ego sine miseri-
* p. 91. cordia * multos percussi, ita me solum ab uno illo nunc sine misericordia caesum esse ». Antea vero medici ab eo discesserant ut ipse eos repellebat, cum iam nec alimentum quidem ullum recipere posset, et, etiamsi *pocula* mixta biberet, ea protinus evomeret. Tandem vero et intestina eius etiam comminuebantur et descendebant. Et, quamquam cruciatus eius amarus erat et durus, diuturnus etiam erat. Et, cum de se fleret, coram multis dicebat: « Scio, Domine, me mala coram te fecisse, et maledicta servorum tuorum hominum senum et gravium me consecuta esse et iram tuam in me excitasse, quod sine misericordia eos tractabam ». Is, cum post annum primum persecutionis suae perpetuo castigaretur, et cum caput suum non erigeret[1], et cum ne ita quidem dolis suis immitibus temperasset, postremo, postquam languor durus et tantus cruciatus amarus eum duos circiter annos vexavit, deinde de vita terrestri evanuit, anno 13° regni regis Iustini; qui eisdem morbis suis mansit, et[2], cum interdum levaretur, rursus semper castigatur usque ad diem obitus sui.

Caput XXVII, quomodo, cum Iohannes persequeretur, omnes imagines patrum orthodoxorum etiam de omnibus monasteriis everteret et detraheret, et suas figeret. — Supra enim etiam huius capituli[3] mentionem breviter fecimus[4], nunc vero iustae Dei sententiae historiam nos commonstrare oportet, qui non solum iudicio futuro sed et ex hoc mundo etiam retributio-
* p. 92. nem * secundum opera praetulit. Cum enim Iohannes urbis regiae supradictus atrocitatis impetu veheretur, superbia et fervore ut puer adulescens rapiebatur, immo etiam quod potestate turbatus et ebrius erat, cum monasteria itemque ecclesias orthodoxorum persequeretur et subigeret, omnes imagines patrum orthodoxorum detrahebat et evertebat, et suas ipsius ubique figebat et statuebat. Et, cum se moriturum non putaret, mortis terminus eum subito consecutus est, et Eutychius vocatus et ingressus est, qui ante eum expulsus erat, et in cuius vicem ipse ingressus est; et, cum is mortuus esset et ille vocatus et in-

[1] Ad *Iob.*, x, 15 alludere videtur. — [2] Ms. om. — [3] κεφαλαῖον. — [4] I, xxxvi.

gressus esset, cum omnia quae inter eos antea fuerant regum[1] suasione siluisset ac praetermisisset, ipsius Iohannis imagines, quae ubique multae erant, Eutychius e domo episcopii et ex omnibus ecclesiis sustulit et eiecit, aliquot exceptis quae in 5 locis diversis delitebant et[2] inveniebantur. Etenim in omnibus etiam urbibus et in pagis[3], cognita Eutychii voluntate, ne accusarentur, cunctas Iohannis imagines quae pictae[4] et quae in tabulis *erant* deleverunt; et imagines eius auferebant et Eutychii figebant, ut diximus, paucis exceptis quae disperse relin- 10 quebantur. Et reddidit Deus Abimelecho malum quod fecit et occidit fratres suos septuaginta viros super unum lapidem[5]. Itaque hoc in miraculum et in stuporem factum est, et omnibus hominibus res mirabilis *fuit*, quomodo Deus protinus ex hoc mundo Iohanni vicem retribuisset, et ut fecit ita ei factum esset, 15 et Dominus retributionem Nabal in caput eius vertisset[6]. Itaque Iohannis imago post mortem eius sublata est, sicut ipse sanctorum imagines detrahere ausus est, et suas erexit. Sedit vero in sede sua annos tredecim plus minus.

* Caput XXVIII, de Theodulo diacono, qui ipse unus e per- * p. 93. 20 secutoribus violentis Christianorum fuit, et de retributione iudicii iusti quae eum etiam consecuta est, dum angore cruciatur. — Theodulus hic diaconus ecclesiae a pueritia demissus et modestus et quietus esse videbatur, *ita* ut praestantiae etiam famam apud multos haberet. Quamobrem, cum ad regem Iusti- 25 nianum aditum obtinuisset, visa modestia et quietudine eius, aurum multum ei commisit quod pauperibus distribueret, et inclusis et monasteriis quae circa urbem *erant* et in omnibus suburbiis transmarinis; itemque centenaria ei dabat eumque ad regiones longinquas mittebat *ea* distributurum, ita ut ipse 30 paulatim centenaria acquisiverit. Ea autem ratione Iustinus etiam praeterea ei confidebat. Et, persecutione excitata, adsentandi causa, utpote vir cui confidebatur, cum Iohanne et ceteris aliis toti parti fidelium mala multa inflixit, cum ipse ad monasteria primum mitteretur, et iuramentis fraudulentis multos

[1] Sc. regis et reginae. — [2] Legendum fortasse 'nec'. — [3] χώρας. — [4] Sc. in muris. — [5] *Iudic.*, IX, 5, 6. — [6] I *Reg.*, XXV, 38.

deciperet; et postremo in mendacio deprehendebatur. Itaque nagis quam Iohannes irae zelo pro synodo et tota haeresi Diphysitarum vestitus erat, et potestate *usus* adprehendebat et ncludebat et cruciabat prout volebat, cum apud patriarcham tiam omnes fideles calumniaretur, et ad iram asperam eos[1] incitaret. Et mandata et potestatem recipiebat, et ut volebat se gerebat. Etenim Iohannes etiam eum haud paulum timebat et metuebat; potestatem enim quoque in omnes Arianos qui *p. 94. ubique erant acceperat. Et, cum * ipse etiam adeo elatus esset et persecutionem ageret, Deus in eum ipsum etiam plagas duras misit, ut statu recto non ambularet, et ut, cum ita adhuc persecutione vehemens et studiosus, quasi ira *motus,* esset, cum propinqui eius ipsius et uxoris eius et notarius eius cum ceteris carabum[2] conscendissent ad suburbium transmarinum transituri, carabus[2] eorum mersus sit, et in mari suffocati sint, cum duo tantum vel tres eorum *mortem* effugissent, et, post hoc excidium et *hanc* cladem quae eum consecuta est, uxor eius etiam mortua sit, et ipse in languorem durum in lecto inciderit, tempus trium annorum cruciatus, cum iam ob tribulationem plagarum durarum lacrimis amaris confiteretur, dicens: « Vae mihi! quod maledicta eorum qui persecutionem passi sunt me consecuta sunt, et querela eorum quos adfligebam coram Deo ingressa est, et tantus languor ira caelesti in me missus est ». Ante p[illegible]ulum tempus enim, ob causam quandam quae ei accidit, vestiarium[3] suum etiam laesit qui omnia quae habebat tenebat; et is clam ingressus regem de centenariis auri quae habebat certiorem fecit, ut hoc dicebatur, quod nos accurate non scimus, viginti quattuor vel triginta; et, cum rex clam misisset et haec abstulisset, misit *et* Theodulum advocavit, eique dixit: « Quoniam *eo* indigemus ut in bella expendamus, diacone, si duo vel tria centenaria habes, nobis da idque tibi reddemus ». Is vero dixit ei: « Ego, domine, unde centenaria habeo? ». Dicit ei: « Per vitam et salutem meam nonne habes? ». Is vero negavit et iuravit se centenarium non possedisse. Tunc mandavit, et centenaria cum ipso vestiario eius venerunt. Dicit ei rex: « Haec no-

[1] Patriarcham et regem (?), sed fortasse num. sing. legendus est. — [2] καράβιον. — [3] βεστιάριος.

visti, et quomodo nos et Deum peierasti? Ignominia tua tibi sufficit. Hinc discede ». * Itaque secundum ignominiam furis quando invenitur ignominiosus discessit et ob ignominiam se celavit et omnibus hominibus *qui* ante eum *erant* opprobrium et ludibrium factus est. Quamobrem, cum haec ignominia omni languori eius addita esset, ita iam ex illo tempore, et nunc usque etiam, deiectus et reprobus fuit.[1]

* p. 95.

CAPUT XXIX, de regis quaestore, cui nomen fuit Anastasius. — Regis enim etiam hic quaestor, qui ipse genere[2] e Samaria erat[3], itaque cum Samaritae in Palaestina a Photio iudicati essent[4], eum accusaverunt[5], et actio[6] in eum facta est, sed ad regem venit et huc illuc discurrit, et omnes partes pretio corrupit, et actio[6] compressa est, nec quaestio in eum facta est. Quamobrem is quoque omnium fidelium osor et inimicus durus factus est, et eis duriter minitabatur, et eos accusabat, et in eos omni hora incitabat, cum Iohannis patriarchae vices ageret absentis. Quando autem ingrediebatur, ambo regem incitabant; et rex, cum ad eos mitteret et verba eorum acciperet, ira excitatus, mandata terribilia et dura in partem fidelium dabat. Etenim aurum haud modicum, ut omnibus notum est, a Iohanne semper recipiebat, et omnium malorum auctor et concitator est, ut magister eius maledictus Aetherius[7], et is, quod huius laborum consors[8] antea erat superbus factus est, et in vestigiis eius in omnibus *rebus* ambulare studebat. Ceterum nec * huius impietatem iustitia amplius sustinuit, qui, cum sese ut christianum ostentaret, sicut pagani et Samaritae, quasi ob causam potestatis, Christianos secreto omnibus modis et omnibus praetextis feriebat, et cum ceteris paganis occultis ad ecclesiae unionem impediendam coniuratio eius composita erat. Quamobrem, cum Deus dolorum eius fraudem vidisset, et eum se Deum et homines decepturum putasse, fraudem eius coram omni ecclesia universa patefecit; itaque, die adorationis crucis sanctae Redemptoris

* p. 96.

[1] Addit Michael (II, p. 314): 'Et post paulum mortuus est. Et apud eum inventa sunt plus quam C centenaria auri. Et cum maledictis sepultus est'. — [2] γένος. — [3] Clausula sine verbo princ. relicta est. — [4] I, XXXII. — [5] κατάθεσθαι fecerunt. — [6] πρᾶξις. — [7] Cf. EVAGR., V. III. — [8] σύμπονος.

nostri, cum evecta et in ecclesia magna erecta esset, et totus senatus[1] et tota urbs universa ad eam adorandam convenisset, et quaestor cum senatu[1] ingressus esset specie[2] ostensurus se etiam revera adoratorem esse, et cum, ordinibus instructis et disposite appropinquantibus, ipse etiam ad ipsam sanctam crucem accessisset, priusquam adoraret daemon eum intravit et sublatum ante ipsam sanctam crucem ad solum deiecit quam adoraturus dolose nec sincere appropinquabat, cum christianismum irrideret; et spumare incepit a daemone contritus, et agitari et diu clamare, donec patriarcha mandavit, eumque sublevatum inter multos portaverunt, et illatum in conclavi interiore quod in ecclesia erat deiecerunt, cum tota ecclesia universa 'Kyrie eleison' diu clamarent[3], huius *viri* fallaciae patefactionem admirati, et reprehensionem quam crucis Dominus erga eum coram coetibus multis fecit; et timor in multos deceptores et simulatores cecidit. Is autem caput non amplius sustulit, sed, cum ita ab illo daemone castigaretur, circiter annum unum et dimidium plus minus vixit, itaque e vita terrestri evanuit.

* p. 97. * CAPUT XXX, quod, cum ecclesiae orthodoxorum a Synoditis in persecutione eversae essent, post paulum tempus ipsae ecclesiae etiam quas Synoditae tenebant, quasi sententia quadam a iustitia *data,* ante barbaros altaria[4] ecclesiarum per totam Thraciam et usque ad murum eversae et nudatae sunt et *homines* ante barbaros migraverunt[5]. — Cum igitur hoc ab eis qui potestatem, sive mundi sive ecclesiae, tenebant probatum esset eisque placuisset, ut fidelium conventicula everterent, et altaria eorum subruerent, eo tempore post paulum, cum barbari criniti[6], qui vocantur Avares, contra urbem usque ad murum exteriorem profecti advenissent, tum omnes ecclesiae in tota regione Thraciae nudatae sunt, et *homines* ante eos cum tota regione migraverunt, et altaria earum nudata et eversa sunt et ciboria eversa et deiecta usque ad murum urbis. Quamobrem quidam ex eis iudicium iustitiae contemplantes dice-

[1] σύγκλητος. — [2] σχῆμα. — [3] Sic. — [4] Ita subiectum aliter iteratur, sed verba seqq. cum subiecto 'ecclesiae' congruunt. — [5] In marg. manu seriore: « Deo gloria qui iniquitatem eorum in caput eorum ... vertit ». — [6] Litt. 'crinium suorum'.

bant: « Id quod ab asseclis nostris erga eos qui nobis non consentiunt iniuste factum est, quod ecclesiae eorum eversae sunt, iam nobis ipsis a Deo ira factum est, et nostrae ipsorum etiam ecclesiae eversae et perturbatae sunt ». Et omnes de his *rebus* 5 mirabantur, et Deum laudabant, qui ipse unicuique secundum opera eius retribuit[1].

Caput XXXI, de vocatione et ingressu Eutychii patriarchae, post Iohannis mortem. — Post mortem vero Iohannis patriarchae Eutychius, qui ante eum erat, a monasterio suo *quod *p. 98. 10 in urbe Amasia est, regione septentrionali, vocatus est; et ingressus est et pompa magna tum a regibus[2] tum a tota urbe receptus est, cum magna etiam de eo differrent, eum *nempe* miracula facere et virtutes operari. Urbs autem tota ingressu eius gavisa est, quippe quod omnem falsitatem et mendacia et 15 imposturam Iohannis effugissent, quae extra modum erat, quippe quod ⌜valde iuvenis[3] erat, et ex scholasticis erat, et ante paulum tempus tonsus erat et clericus factus, et cito amplius etiam urbis regiae episcopus, et ab adulescentia[4] sua et ab omnibus *rebus* quae scholasticorum *sunt* non mutatus est.

20 Eutychius monachus timoratus erat; thronum[5] vero urbis regiae ante eiectionem suam annos duodecim obtinuerat; et postquam eiectus est Iohannes etiam annos duodecim *sedem* obtinuit, cum anno decimo tertio etiam ingressus esset. Itaque Eutychius ingressus est, dum ⌜putat se[6] in sede sua non ses-25 surum antequam Iohannem anathematizet, et memoriam eius ex ecclesia Dei deleat.

Caput XXXII, de eis quae ab archidiacono[7] Romae canonice de Iohanne et Eutychio ante ingressum eius confidenter[8] coram rege dicta sunt[9]. — Archidiaconus[7] igitur Romae, 30 postquam Iohannes sirimensis mortuus est, et Eutychius vocatus et ingressus est, confidentia[8] multa coram rege ita dixit: « Misericordiae vestrae notum sit secundum canones et regulas

[1] *Rom.*, II, 6. — [2] Sc. rege et regina. — [3] Litt. 'puer'. — [4] I. c. « iuvenili indole », nisi legendum ܒܥܠܡܘܬܐ 'vita saeculari'. — [5] θρόνον. — [6] Legendum fortasse ܣܒܝܪ 'putatur eum'. Cf. cap. XXXIII. — [7] ἀρχιδιάκονος. — [8] παῤῥησία. — [9] Marg. manu seriore 'Deus ei propitius sit, bene dixit, nec acceptus est'.

ecclesiae, si Iohannes patriarcha fuit, et omnia ut patriarcha
*p. 99. omnes dies vitae suae egit, Eutychium * patriarcham non esse, et ecclesiam intrare et thronum[1] obtinere prorsus non posse; si autem contra Eutychius recipitur et ut patriarcha ingreditur, et thronum[1] obtinet, Iohannem et omnia quae ab eo facta sunt 5 extra totam ecclesiam esse, et quidquid ab eo factum est irritum esse, sive episcopum sive ceteros totius ordinationis[2] eius; et, si baptismum perfecit, sive ecclesiam consecravit aut altare, cum ceteris omnibus quae ab eo facta sunt, haec irrita et nulla esse. ⌜*ita* ut eius ipsius nomen etiam deletum sit[3], et ex ecclesia 10 Dei proscriptione amotum, et ex omni ordine sacerdotii eiectum, et praesertim quia ambo se invicem ex ecclesia summoverunt et anathematizaverunt cum omnibus qui cum eis communicabant, et alterutrum eorum secundum canones summotum et depositum et ex ecclesia eiectum esse ». Quamobrem, cum archidiaco- 15 nus[4] haec omnia coram rege locutus esset, et dixisset « Papa Romae aliter non accipiet », graviter reprehensus est, ut sileret et canonum rigorem[5] neglegeret. Itaque siluit et neglexit; et canonum ordo conculcatus et violatus est.

Caput XXXIII, quod, cum Eutychius vocatus esset, fore ut 20 non reciperetur ut ingressus sederet priusquam synodus conveniret et sederet et omnia quae ab eo et a Iohanne invicem peracta sunt perscrutaretur omnes putabant[6]. — Cum enim omnes putassent Eutychium inquisitionem magnam facturum esse, cum vocatus et ingressus esset, ascendit *et* in throno[7] sine 25 contentione consedit; faecem enim turbatam anathematum eo-
*p. 100. rum quae invicem fecerant, Iohannes videlicet et ipse, * ambae partes cum eis qui cum eis communicabant biberunt et exsorbuerunt, ut etiam anathematizaverunt; itaque stupor propter haec omnes occupavit. 30

Caput XXXIV, de Iohannis imaginibus quas Eutychius detraxit, et de cunctis propinquis eius quos humiliavit et expulit. — Cum igitur Eutychius ingressus *sedem* obtinuisset, et

[1] θρόνον. — [2] χειροτονία. — [3] Vel 'sicut eius...... deletum esse'. — [4] ἀρχιδιάκονος. — [5] ἀκρίβεια. — [6] Marg., manu seriore, 'Iniquitas in caput eorum ascendit'. — [7] θρόνος.

inquisitionem canonicam praetermisisset, veritus ne quid adversi contra eum inde excitaretur, et praesaepe suam perderet, tunc odium et zelum suum contra eum [1] ostendit; cunctas enim imagines eius everti et e domo episcopii, quam Iohannes post 5 incendium eius magnifice aedificavit, eici iussit. Et imagines eius ab ea et ab omni loco tollebantur et evertebantur, et nomen eius proclamari desinebat, donec regi hoc displicuit ut nomen eius aboleretur. Et omnes homines qui illius propinqui erant et ad genus [2] eius pertinebant extrusit et humiliavit, et eum pro- 10 bris et conviciis adspergebat. Et quicunque ei blandiri volebat, cum vecordiam eius vidissent [3], Iohanni ante eum conviciabantur [3], quod is grate audiebat. Denique eo vecordiae processit ut coram omnibus aperte diceret: « Iohannes non episcopus Constantinopolis erat, sed vicarius meus, cum ipse alienus fuisset »; 15 et haec quidem omnes qui audiebant illudebant, cum scirent eum ipsum eiectum esse et expulsum, et Iohannem invicem eius factum esse, et sedisse et depositionem [4] eius fecisse.

Caput XXXV, de libris quaternitatis, ⌜eorum videlicet qui duas naturas post unionem tenent [5], quos Eutychius cum in 20 exsilio [6] esset fecit. — Cum enim Eutychius in exsilio [6] foris in monasterio suo esset, libros excerptorum, ut argumentum e * patribus *sumptum,* excerpsit et composuit, quod *argumentum* pro sancta Trinitate quaternitatem docet ad instar synodi Chalcedonis et tomi impii Leonis, hoc est, ipse etiam horum 25 exemplo docet, dicens: « Duae naturae sunt in Christo, etiam post unionem. Ita cuncti etiam patres confitentur ». Quamobrem, postquam ingressus in sede sua consedit, statim libros suos ad omnes primores et mulieres insignes sedulo et diligenter mittere incepit, ab eis postulans ut legerent et intellegerent, 30 ut duas naturas confiterentur. Quos praesertim et sedulo ad eos mittebat qui confessione Diphysitarum offensi erant, confessionem unius naturae incorporatae cum cunctis patribus confessi. Quamobrem, cum multi legissent et vecordiam eius irrisissent, et episcopi etiam eius et ceteri, et tota urbs perturbari

* p. 101.

[1] Sc. Iohannem. — [2] γένος. — [3] Sic. — [4] καθαίρεσις. — [5] Litt. ‘ Diphysitarum vid. post unionem’. Legendum fortasse ‘duarum vid. naturarum post unionem’. — [6] ἐξορία.

incepisset, et praesertim quicunque de faece turbata veneni Nestorii non biberant, graviter adversus eum murmurabant, et praesertim episcoporum eius *nonnulli*, adeo ut in turbam et tumultum multum adversus eum excitarentur, *ita* ut ad domum episcopii convenirent eique dicerent: « Noveris, nisi libros tuos supprimes et ab hac opinione desines, te divisionem in ecclesia Dei et in nobis ipsis etiam facturum ». Itaque libros suos suppressit, et turbam compescuit, cum ipse in eadem sua opinione maneret.

Caput XXXVI, quod Eutychius ad opinionem haeresis Athanasii sectatorum[1] conversus est, qui dicunt haec corpora non surgere, sed alia invicem eorum surgere. — Post haec vero etiam Eutychius robustus, cum primum * genere[2] suo ex haeresi Sambatianorum esset, in aliam etiam foveam, eorum qui corporum resurrectionem negant, ipse se inicere non tardavit; industrie enim ac sedulo hanc etiam doctrinam confiteri et aperte docere studebat, dicens: « Haec corpora hominum ad resurrectionem non veniunt, sed alia quae noviter creantur ea[3] in suscitatione surgunt ». Haec non verbo mero docet, sed et opera litteris fecit et publice[4] edidit, et disputatione pro his *doctrinis* assiduus est; cum propter hoc etiam rursus turba et murmur et probra et convicia in eum per totam urbem excitarentur, et praesertim a parte eius et fidem eius profitentium, qui ei dicebant: « Nisi ab hac doctrina desines, omnes te anathematizabimus », nec ita quidem eum ab opinione eius averterunt, sed docere desiit, omnibus eum ut haereticum habentibus, et ut vecordem.

* p. 102.

Caput XXXVII, quod, cum omnes in Eutychium murmurarent, et eum irriderent eique conviciarentur, orthodoxos tantum ei conviciari putavit. — Ob causam opinionis vanae, Eutychius odio et inimicitia insatiabili contra totam partem fidelium repletus est, eosque prosecutus est, et operam dedit ut eos deleret et perderet; unicuique enim eorum ecclesiecdici et excubitores et romani[5] et clerici, et palliati[6] et ceteri hora illapsuum[7]

[1] II, LI, V, I, V, VII. — [2] γένος. — [3] Sic. — [4] δημοσίως. — [5] Sc. milites. — [6] χλανιδωτοί, sc. scholastici (?); cf. *Patr. Or.*, II, p. 92, l. 8, p. 93, l. 4 vers. — [7] Sc. Spiritus, in panem consecratum.

eorum eis[1] incidebant, ut latrones et ut barbari, non ut christiani, eosque comprehendebant et trahebant et rapiebant, et altaria eorum subvertebant et oblationes eorum abiciebant, et elementa eorum sacramentalia effundebant, et apparatum[2]
5 eorum auferebant et rapiebant, et cetera omnia vasa in usum eorum quae inveniebant, vel libros, et usque * ad vestimenta * p. 103. eorum et calceamenta, rapiebant, vel etiam expensas[3] in usum eorum, cum nihil omnino quod inveniebatur neglegerent quod non auferebant et rapiebant et furabantur; et denique eos
10 trahebant et quoscunque apud eos inveniebant, et profecti eos in carceribus includebant, ubi quod[4] possidebant et quod[4] non possidebant dabant, et tunc inde exibant. Itaque conventicula singula cottidie comprehendebant. Quamobrem, cum a multis reprehenderentur, quod ut pagani oblationem Christianorum
15 abiciebant et conculcabant, postremo eam in ignem iniectam incendebant. Et tot mala sine impedimento perficiebantur, donec in tota urbe conventiculum aperte non inventum est.

Caput XXXVIII, de Probino, Andreae servo, qui reginae sacellarius antea erat[5]. — Tot malorum igitur causa fuit Pro-
20 binus quidam servus Andreae, qui persecutionis initio, cum reginae sacellarius[6] esset, palatio[7] et ministerio[8] suo relictis, propter veram fidem exiit, et spoliatus est et in Dalmatii[9] monasterio inclusus, nec succubuit. Huic fuit servus barbarus quem ipse educaverat et litteras sedulo docuerat, cuique ⸢tota
25 domus eius commissa erat⸣[10]. Is tandem ab eo descivit, et abiit et Eutychio se dedit, qui eum omnibus sacerdotibus et omnibus conventiculis delatorem et incitatorem[11] constituit. Quamobrem, ut dominum suum perderet, ecclesiecdicos itemque excubitores et romanos[12] et clericos adducebat, et ibat et omnes trahebat et
30 deportabat *et* * in carceribus includebat, postquam eos barbare * p. 104. spoliaverunt et omnia quae habebant praedati sunt et abstulerunt, *ita* ut multis aurum etiam multum auferrent. Itaque, etsi esset ut *ita* dicamus qui secessisset et se in cavo abscondi-

[1] Sic. — [2] Sc. vasa sacramentalia. — [3] ἀνάλωμα, sc. pecuniam (?). — [4] Vel 'qui'. — [5] Cap. IX. — [6] Sc. Andreas. — [7] παλάτιον. — [8] Vel 'militia'. — [9] Ms. 'Dalmatiorum'. — [10] *Hebr.*, III, 5; cf. *Num.*, XII, 7. — [11] παρακινήτης. — [12] Sc. milites.

disset, hic fraudulenter ingressus eum comprehendebat, eumque spoliabat et includebat. Qui omnibus sacerdotibus et omnibus conventiculis et omnibus fidelibus qui in urbe regia *erant*, et nobis etiam cum ceteris tentatio et Satanas factus est, ita ut malorum quae hic toti ecclesiae fidelium inflixit narratio 5 terminum et finem excedat.

Caput XXXIX, de sorore quadam moniali et de certaminibus[1] virilitatis quibus concertavit, et in omnibus vicit et claruit. — Hae[2] igitur sorores corporeae erant. Quamobrem, cum ipsae infantes *essent*, mater earum mortua est, et pater earum 10 eas monasterio tradidit; et ipse etiam mortuus est, et eis, monasterio videlicet earum, quodcunque possederat reliquit. Et, cum tempus *aliquantum* transiisset et adoluissent et ad aetatem *perfectam* pervenissent, persecutio Iohannis, et post eum Eutychii advenit; et, cum totum monasterium oblationem a se reci- 15 pere cogerent, partem earum adprehensas inter monasteria in urbe dispertiverunt. Hae vero duae sorores ut adamas[3] stabant, praesertim *soror* maior. Quamobrem omnes cruciatus et omnes angustias custodiarum angustarum et famis et sitis eis infligebant, cum haec magis fortitudinem exhiberet et splende- 20 ret et fide ferveret, et omnes quarum in monasterio includeretur reprehenderet et laceraret, et diceret, « Vos et omnes

* p. 105. sacerdotes vestri, et quicunque vestram opionem tenent * sanctae Trinitati alienae estis, quippe quae pro ea quaternitatem teneatis, et cum synodo Chalcedonis *sitis*, quae specie[4] Nesto- 25 rium anathematizat, reapse autem et veritate fidem eius tenet, et duas naturas eius instar confitetur, et vos cum ea, et quicunque ei consentiunt ». Itaque omnes ab ea victae sunt, et ingressae querelam apud episcopum detulerunt, clamantes: « Nisi illam adflictionem nobis auferri iubebis, noveris nos 30 omnes a monasterio nostro discessuras. Convicia enim eius et probra et disputationem sustinere non possumus ». Itaque ad exarchum monasteriorum nuntium misit *ut* mitteret eamque iudicaret et eam cruciarent[2], et eiectam in monasterio alio illo severiore collocarent[5], et *moniales* eam cruciare iube- 35

[1] ἀγών. — [2] Sic. — [3] ἀδάμας. — [4] σχῆμα. — [5] Masc., sc. apparitores.

rentur donec eam subigerent. Quamobrem, cum exarchi visitator ad eam [1] adiiset, et eam accusare incepissent [2] eique minitari, ea libere eos [2] irrisit, dum eos [2] illudit, et dicit: « Quare, pagani et homicidae, mihi debili minitamini? Si usque ad mi-
5 nationem tantum venistis, nec me secundum morem vestrum et eius qui vos misit me occidetis, homines non estis, nec vos inter vivos esse aestimo [3] ». Quamobrem, cum hi ira eam ut camelum virga contunderent, tum ea magis eos illudebat, eosque anathematizabat eisque clamabat, « O vos pagani persecutores
10 et homicidae Christianorum », cum eos ad se occidendam incitaret, dicens, « Vos pagani estis, nec christiani. Christiani enim Christianos non persequuntur, sed vos de vobis ipsis ostenditis vos paganos esse, et paganismi vestri factum ipsi ostenditis ».

Quamobrem, cum hi quoque ab ea victi essent, eam traxerunt
15 et deportaverunt *et* in monasterio alio incluserunt cum *moniales* eam duriter cruciare iussissent. Quamobrem, cum paucos dies *ibi* * fecisset, et hae etiam clamare inceperunt et ab ea [4] fugere. * p. 106.
Itaque in monasteriis multis eam collocaverunt, nec eam superaverunt. Et mandavit Eutychius « Huc in ecclesiam eam ad-
20 ducite ». Quae cum exarchi apparitores audivissent, ingressi Eutychio dixerunt: « Noveris, domine, si ad te veniet, nec linguam eius exsecabis vel caput eius amputabis, eam nullum convicium vel opprobrium praetermissuram quod non in os tuum maledice dictura sit, et, cum vapulet et crucietur, magis
25 addituram, cum caedi parata sit et mortem sitiat ». Tandem vero, cum eam in ecclesiam introduxissent et multi alius post alium eam adversati essent, et minas ac denuntiationes in eam multiplicassent, omnes velut mortuos anima carentes illusit, et valde reprehendit, donec omnes ubique ab ea victi sunt, et
30 postremo eam dimiserunt ut ad monasterium suum adiret. Quamobrem toti monasterio suo causa restitutionis facta est, nec eas amplius adorti sunt. Cum certamina [5] eius formidarent, dicebant « Si soror una ex illo monasterio tot certaminibus [5] stetit nec succubuit, omnes adunatas quis superare potest? ».

[1] Ms. ‘ eum ’. — [2] Sc. apparitores. — [3] Cf. I, IX. — [4] Ms. ‘ eo ’ — [5] ἀγών.

Caput XL, de hymno feriae quintae mysterii[1] quem Eutychius mutare quaesivit, qui e more antiquo in omnibus ecclesiis usurpabatur, et suum instituere. — Cum igitur potens Eutychius ut in ceteris *rebus* se ipse doctorem ostendere superbe praesumpsisset, et cum officiorum ecclesiarum morem qui ab initio *fuerat* dissolvere et abolere intendisset, et suam ipsius perniciem inducere et instituere[2], quam feria quinta mysterii[3] pittaciis scriptam ad omnes ecclesias misit, mandato dato ut, hymno qui ab initio *fuerat* abolito, *hymnus* eius usurparetur, cum eos qui *hymnum* antiquum * usurpare et *hymnum* eius praetermittere ausuri essent minis et denuntiationibus adficeret. Quamobrem non solum clerus omnium ecclesiarum et coenobiorum monachismi, virorum ac mulierum, hac *re* agitati et perturbati sunt, sed et tota etiam urbs et totus senatus[4], adeo ut paulum abesset quin seditio[5] magna in eum fieret, non solum ab ecclesiis et monasteriis, sed et a tota etiam urbe, ita ut haec usque ad regem per quosdam e senatu[4] nota facta sint. Episcopus autem cum irae impetu ad regem ingressus esset querelam apud eum de his *rebus* delaturus, deinde increpitu duro eum increpavit, dicens, « Quamdiu te ipsum non moderaberis et tranquillus sedebis? quod iam totam urbem agitasti et perturbasti. Quomodo enim tu mores eorum antiquos eis mutare potes? Et vide ne te lapident ». Dicit ei : « Domine, ego *hymnum* qui antiquo longe aptior est de meo composui ». Dicit ei rex, « Noveris, si de caelo hymnum tuum detulisti, nos eum prorsus non recepturos. Abi *et* in ecclesia tua sede, et in eis quae a patribus antiquis in ea constituta sunt mane ». Itaque eum ab impetu eius cohibuit et minae eius desierunt[6] et siluerunt.

Caput XLI, de eis quae tandem praeterea post omnes tentationes eius Iohanni acciderunt qui vocabatur 'super paganos'. — A Iohanne autem qui vocabatur 'super paganos', qui erat episcopus Ephesi, post omnes tentationes et custodias et persecutiones et exsilia[7] quas sustinuit, postremo postulabatur ut chartam[8] daret villae cuiusdam quae ei a Callinico regis

[1] Ita l. 7. Usitatius 'mysteriorum'. — [2] Clausula aliter continuatur. — [3] Vide n. 1. — [4] σύγκλητος. — [5] στάσις. — [6] Aut 'irritae factae sunt', [7] ἐξορίας. — [8] χάρτης.

praeposito et patricio data erat, quam cum Iohannes accepisset * multas expensas in eam fecit eamque renovavit, et ecclesiam in ea aedificavit et cisternas[1] tres fecit, et monasterium nominavit. Et, cum persecutio a Iohanne facta esset, monasterium quod nominaverat ei abstulit, et Synoditas in eo instituit, eumque ad insulam maris in exsilium[2] relegavit[3]. Et, mortuo Iohanne, cum Eutychius ingressus esset, ab eo postulabat ut eandem villam ei gratis[4] daret, et ceteras chartas[5] eiusdem villae, nec solum *eas* sed apparatum etiam et libros et ceteras res. Qui post persecutionem et tribulationem dierum multorum eum adprehensum in carcere inclusit, cum chartas[5] villae omnes ab eo postulasset et abstulisset, et, cum inclusus esset, totam cohortem[6] ecclesiecdicorum omnium et laicos in eum congregavit, qui cum eo de apparatu et ceteris *rebus* litigabant. Is vero gratia confirmatus eis dicebat, « Quem igitur[7] apparatum et quas res postulatis, quas ibi dedistis, aut vos aut alius? Qui apparatum mihi dedit, ei convenit ut veniat *et* a me postulet. Iam enim instrumenta[8] omnia villae quae apud me inventa sunt iniuste et rapinae modo sine timore Dei cepistis. Legite et videte. Estne in eis nomen monasterii? et, si in eis scriptum est me apparatum recepisse, tum vero a me postulabitur. Ego enim male feci et monasterium nominavi. Sin autem, nec monasterium esset ». Itaque Dei auxilio pudorem eis incussit, et omnes ob haec ab eo repressi sunt. Panes vero quinque[9] ab eo postulaverunt et abstulerunt qui ab eo trecentis daricis empti erant, dicentes, « Hos nomine monasterii emisti ». Et, cum in custodia esset, villam tradidit, et deinde solutus est et custodiae tribulatione exiit.

* p. 108.

* Caput XLII, de Paulo oppresso asiano cui episcopatus abrogatus est[10]. — Multa igitur adflictione digna est Pauli historia, qui vir erat sincerus et tranquillus et demissus et admirabilis, et in tabernaculo monasterii sui sicut Iacob [11] in regione Cariae iamdudum habitabat. De hoc enim cum Iohannes sirimensis didicisset ad Asiam statim misit, eumque vinctum et catenis liga-

* p. 109.

[1] κιστέρνας. — [2] ἐξορία. — [3] Cap. VII. — [4] δωρεά. — [5] χάρτης. — [6] σπεῖρα. — [7] ἄρα. — [8] δικαιώματα. — [9] Cf. III, XIV. — [10] Cf. I, XIV. — [11] *Gen.*, XXV, 27.

tum introduxit et in domo episcopii sua in tribulatione inclusit, et eis vinculis et cruciatibus multis eum sibi concedere fecit et *eucharistiam* a se recipere. Et, quoniam canitiem eius veritus est, et viri gravitatem, fraudem cordis sui non patefecit, et quae in eum excogitaverat, sed, postquam eum subegit et sibi morigerum reddidit, tum eum ita ad episcopum Aphrodisiadis misit, cui scripsit, « Huic episcopatum abroga, eumque denuo crea, et in Antiochia urbe quae sub tua potestate *est* institue ». Qui, cum Paulum et litteras recepisset, eum statim adprehendit, cum is fraudem eorum non percepisset, et dixit ei: « En patriarcha me episcopatum tuum tibi abrogare iussit, teque denuo creare ». Qui, cum audivisset, lamentari incepit et dicere: « O homines, pagani estis. Iam multi anni *sunt* e quo creatus sum et episcopus sum, et secundum ordinem canonum a tribus episcopis creatus sum; et nunc cur contra canonem deponor, et denuo impie ordinor? Et, si sacerdotium meum abrogatis et me denuo creatis, ergo et baptismum meum etiam primo abroga, et me denuo baptizate ». Et, cum non obsecuti essent, sed et ira etiam contra eum impleti essent, eum tyrannice et violenter adprehensum deposuerunt, et denuo creaverunt; qui vultum suum percussit et oculi eius obscurati sunt, * et occaecatus est. Et, cum dehinc de se ipso fleret et ploraret, et consilium iniret ut ad perfugium paenitentiae decurreret, tum ita mortis finis eum adsecutus est, et senectus eius cruciatu et aerumma ad inferum descendit, cuius iudicium Iudici aequo reservatur.

* p. 110.

Caput XLIII, quomodo Iohannes astutia fraudulenta a Paulo postulaverit ut libellum[1] faceret, de quo exemplum parvum hic exscribimus. — Consiliarii vero Iohannis libellum[2] sumpserunt, et ut ab ipso Paulo scripserunt, eique inseruerunt: « Ego Paulus qui errabam et perditus eram, et, fide vera intellecta, me converti et voluntate mea et libertate animi mei ad te ipsum, domine Iohannes oecumenice patriarcha, sine vi et necessitate ad ecclesiam Dei adveni, hoc scripto confiteor me synodo DCXXX patrum sanctorum qui in urbe Chalcedone convenerunt, et epistulae sacri ac beati papae Romae, ut confessioni Petri principis apostolorum, usque ad halitum ultimum consentire, et ab

[1] Ms. om. — [2] λίβελλον.

ea numquam amplius declinaturum vel mutaturum. Et haec confessus sum et manu mea signavi. Ego Paulus episcopus confiteor me omnibus quae in hoc libello[1] scripta sunt consentire et ea accipere ». Hunc igitur *libellum* obtulerunt ut ei subscribe-
5 ret, nec eum id quod nomine eius et ut ab eo falso ac fraudulenter scripserunt legere et cognoscere siverunt, et testimonium mendax sine timore Dei de eo ediderunt.

* Caput XLIV, de Deuterio qui post Paulum episcopus or- *p. 111.
thodoxorum[2] fuit. — Hic Deuterius asceta et vitae rationibus
10 eximius *fuit*, qui a diebus adulescentiae suae et usque ad senectutem, totum tempus triginta quinque annorum, cum Iohanne laborabat qui paganos in regionibus Asiae et Cariae et Phrygiae et Lydiae *ad christianismum* convertebat, et cum eo ecclesias novas undecentum et monasteria duodecim exstruebat, cui
15 Iohannes magis quam aliis confidebat et credebat, quem etiam episcopum orthodoxorum[2] in regione Cariae instituit, et successorem suum fecit, eo quod ipse senex erat et aetate provectus, et in certamen[3] persecutionis inciderat, quemque ecclesiis omnibus et monasteriis praefecit, et laborabat Deuterius et usque
20 ad vitae suae finem, qui in urbe regia fuit, omnes visitabat et sustentabat, et, gratia divina adiutus, certamina[3] ministerii sui enixe et fortiter et viriliter percurrit, et[4], cum Synoditae post eum currerent eum correpturi, et ut Paulo ei facturi, eumque in loco illius Antiochiae instituri, Dominus eum in manus eo-
25 rum non tradidit. Itaque certamen[3] suum finivit et senectute bona decessit[5].

Caput XLV, de schismate eorum qui de nomine domus in qua conveniebant, quae vocatur Κονδοβαύδου[6], Condobauditae vocantur, quorum antea etiam mentionem fecimus[7]. — Hoc igitur
30 conventiculum ei sunt qui orationi quam Theodosius Alexandriae, cum * in urbe regia esset, contra duas haereses, Tritheitarum videlicet et Sabellianorum, fecit adversantur, quod voci- *p. 112.

[1] λίβελλον. — [2] ὀρθόδοξοι. — [3] ἀγών. — [4] Ms. om. — [5] *Gen.*, XXV, 8 etc. — [6] Ms. ‘ Condobauditae ’. Cetera, quae ad tit. clare pertinent, ut capitis pars in ms. scr. sunt. — [7] In parte exstante Condobauditae non occurrunt, sed in I, XXXI Cononis et Tritheitarum mentio est.

bus nonnullis quae in ea *sunt* offenduntur et de eo putant eum ipsum quoque essentiarum [1] et naturarum numerum introducere, et propter hoc se separant et seorsum conveniunt, caput non habentes, nec qui sacerdotes eis creet. Qui saepe cum fidelibus uniri quaesiverunt, et colloquium etiam cum eis habitum est, et pars quidem uniti sunt, quibus scientia infuit ut rectum iudicarent, et pars etiam inscientia inepte et sine recta ratione ita procaciter manserunt.

CAPUT XLVI, de monasterio monachorum cappadocum. — Monachi igitur cappadoces persecutionis violentia, ut in libro I etiam eorum mentionem feci [2], coenobio magno et spatioso quod in Cappadocia *est* quod vocatur *coenobium* GWRDYSWN expulsi et eiecti sunt, qui septuaginta viris haud pauciores erant, senes insignes et zelatores. Quamobrem, cum loca multa aedificassent et condidissent, et rursus de loco in locum pellerentur, tum abierunt et locum quendam bonum et amplum [3] et coenobio suo omni modo idoneum invenerunt cui nomen QRDWNY'N, thermis propinquum quae in suburbio transmarino meridiano urbis regiae *sunt* quae vocantur ⌜*thermae* PTY' [4], et cubicularius quidam fidelis eum eis emit, et in eo consederunt; et vineam in eo plantaverunt, et ecclesiam magnam aedificaverunt. Et totus ordo [5] senum insignium obdormiverunt et mansit adulescentia. Et tandem, cum rex Iustinus et regina et totus senatus [6], cum praeterirent thermas adituri, ingressi essent et in monasterio deversati, tum per promissa et dona eos subegerunt, cum * monasterium eorum primum etiam quo expulsi erant eis dari iussit, et remissionem vectigalium [7] eis donari, itaque eos subegerunt et demerserunt, post tempus xx annorum quos certaminibus [8] persecutionis certaverunt. Et divisi sunt, et pars dimidia eorum reversi monasterium suum primum occupaverunt, et pars dimidia in eodem manserunt; et, ut *ita* dicamus, perturbati et confusi sunt quod navis eorum in porta portus [9] fracta erat; et orthodoxiam [10] totam prorsus aversati sunt.

* p. 113.

[1] οὐσίας. — [2] I, XXXIX. — [3] [illegible] hoc significare hic videtur. — [4] Vel DPTY'. Pāthyā = latus vel latitudo, et fortasse πλατεῖα vertit (Schönf.) — [5] τάγμα. — [6] σύγκλητος. — [7] δημόσια, quod hoc sensu alibi incognitum esse videtur. — [8] ἀγών. — [9] λιμήν. — [10] ὀρθοδοξία.

Caput XLVII, de orthodoxia[1] mixta et impedita quae in monasteriis obtinuit. — Monasteria igitur magna et si *quae* parva *erant* mulierum quae flagitata sunt et pars concesserunt et pars perstiterunt vel saltem postremo redierunt ita perstiterunt, cum quae concesserant et quae non concesserant toto ritu suo una uterentur, praeter quod *eucharistiam* una non recipiebant, adeo ut sacramento quod clerici in unoquoque eorum faciebant ipso illapsu[2] una starent et ritum peragerent et totum ritus ordinem facerent nec se separare possent. Eis vero etiam quae *eucharistiam* non recipiebant presbyteri alii erant orthodoxorum qui offerebant et eis dabant; nec propter temporis necessitatem aliter facere poterant, ne eas statim expellerent et dissiparent. Et principes orthodoxorum silere et haec neglegere coacti sunt, ne orthodoxia[1] prorsus periret.

Caput XLVIII, de signo mirabili quod in bestiis, quod in elephantis videlicet, apparebat. — Nonnullis vero fortasse cachinno * uti et risu adfici facile est quod signi quod in bestiis deformibus, elephantis videlicet, *visum est* in his libris nostris mentionem facimus, quod nos haud leviter vel ut *ita* dicamus sordide memoriae tradimus, sed primo in Dei gloriam, secundo autem in admonitionem et increpationem paganorum et Iudaeorum et ceterorum deceptorum, qui crucem negant et dispensationem salvationis nostrae reiciunt, quae in crucis signo effecta est. Elephanti enim quos per victoriam quae a Deo de populo maledicto magorum Christianis data est eis abstulerunt tum ad urbem regiam ascenderunt, tum in ea tempus multum erant; et, ubicunque ante ecclesias praeteribant, primus qui *agmini* praeibat, se orientem versus circumagebat, et caput suum et proboscidem deorsum inclinabat; et adorabat, et statim proboscidem sursum elevabat, eamque circumagebat, et crucis formam faciebat, et signabat, itaque praeteribat. Et qui post eum *erat* elevabat[3], et eadem forma utebatur, et ceteri alius post alium quotcunque erant; quod saepe oculis nostris vidimus, cum miraremur et Deo confiteremur, qui et bestiis etiam mutis christianismi scientiam indidit, in admonitionem rationalium

* p. 114.

[1] ὀρθοδοξία. — [2] Sc. Spiritus. — [3] Sic.

qui christianismum neglegunt et Redemptoris generis[1] nostri gratiam reiciunt. Aliud item eiusdem modi *est* quod ipsum miratione et stupore magno dignum est, quod ab his ipsis bestiis semper peragebatur, *ita* ut[2], quotiescunque circenses[3], cursus videlicet equorum, secundum morem fiebant, elephanti semper ingressi, cum singulis eorum vir veheretur qui eos dirigebat, in medio circo[3] contra regem starent, et, quoad possunt et natura eorum eos * inclinari sinit, se inclinarent et eum adorarent, et unusquisque eorum proboscide crucis signationem faceret, et contra regem signaret, cum coetus qui illuc convenerant eos mirarentur et obstipescerent, quomodo crucis signatione ut homines perfecte uterentur. Itaque, cum dona a rege accepissent, exeunt[2].

*p. 115.

CAPUT XLIX, de incendio quod in media urbe regia factum est. — Fine igitur regni Tiberii et initio Mauricii clades incendium videlicet magnum in tota media urbe regia facta est, et excidium completum quod substantiae[4] multae magnae et mediocres et parvae una vastatae sunt, et qui effugerunt omnibus possessionibus suis et divitiis nudati ac privati *effugerunt,* quae cum eas intuerentur uno die ignis flammae cibus factae sunt.

CAPUT L, quod de causa indicat cur unius rei memoria fortasse in multis capitibus confuse notata esse inveniatur. — Quoniam igitur nonnulli scientia versati qui harum narrationum lectiones attingent scriptorem culpis fortasse aspergent pro eo quod unius rei narratae mentio in multis capitibus confuse et turbate fortasse invenitur, hoc eis qui haec culpant notum sit, magnam harum narrationum partem tempore persecutionis et pressura[5] omnium rerum adversarum scriptam esse, et eos[6] quasi ob pressuram[5] chartas[7] in quibus haec capita scripta essent cum ceteris chartis[7] et scriptis aliis in loca diversa abdidisse, et nonnumquam usque ad duo * et tres annos in variis locis absconditas mansisse, et fortasse, cum res sub-

*p. 116.

[1] γένος. — [2] Sic. — [3] ἱππικός. — [4] οὐσία. — [5] ἀνάγκη. — [6] Auctoris amicos (?). — [7] χάρτης.

venirent quarum memoriam litteris tradere vellet auctor, et partis fortasse in capitibus anterioribus memoria notata esset, et cum schedulae[1] priores non adessent ut legeret et sciret an scriptae essent, nec etiam eas antea scriptas esse recordaretur, 5 ergo in *capitibus* posterioribus eum memoriam earum iterum fecisse, et hac de causa nonnumquam unius *et* eiusdem rei memoriam in multis capitibus factam esse inveniri, quemadmodum nec comparationem earum postea facile et libere fie tempus sivisset.

10 Caput LI, quod, cum Eutychius ex haeresi Sambatianorum fuisset, tandem haeresibus aliis se dedit. — Cum igitur Eutychium patriarcham superbia cordis eius ut in multis *rebus* seduxisset, cum ab initio suo ex haeresi Sambatianorum esset, cum episcopus factus haeresim suam celare quaesivisset, et 15 eis qui eum constituerunt placere, qui opinionem chalcedoniam tenebant, primo surrexit et in haeresi duarum naturarum fortis factus est, cum duriter persequi incepisset, et, cum sede sua in exsilium[2] eiectus esset, doctrinam de duabus naturis schismaticam, librum magnum, suscepit et fecit; quem, cum 20 post Iohannis mortem vocatus esset, et sedem suam ingressus, ut in narratione etiam quae haec antecedit notum fecimus[3], ad magnas senatorum[4] domos mittere incepit, ad viros et mulieres, eos praesertim qui a confessione duarum naturarum abhorrebant, cum eis scriberet « Legite et discite, ecclesiam 25 duas naturas in Christo post unionem confiteri; » qui, * vecordiam eius irridentes, librum eius ad eum mittebant. Et rursus postquam paulum oppertus est tum de haeresi Athanasii audivit, qui cum haeresi eorum qui οὐσίας, essentias videlicet, et naturas in sancta Trinitate numerant, princeps et auctor fac- 30 tus esset, quasi errore Iohannis grammatici Alexandriae ipse etiam seductus est, et dixit haec corpora hominum in resurrectione mortuorum non surgere, sed alia fieri et ad resurrectionem venire, *ita* ut ex hac insania paganismi et manichaeismi schisma inter eos factum sit, et se invicem litteris 35 anathematizaverint. Quae cum Eutychius patriarcha didicis-

* p. 117.

[1] σχεδάρια. — [2] ἐξορία. — [3] Cap. xxxi. — [4] συγκλητικοί.

set, eis statim accessit et studuit, et unus eorum factus est. Et doctrinam de hac *re* componere incepit, et de scripturis[1] fecit, et edidit, donec episcopi eius et clerici perturbati sunt eique restiterunt; et multa inter eos dicta sunt. Itaque veritus est et siluit et librum suum suppressit, sed ab ipsa opinione non destitit. 5

CAPUT LII, quod Eutychius articulo ' qui pro nobis crucifixus es ' adversatus est. — Quemadmodum in capite alio etiam a nobis notum factum est quomodo Eutychius eximius articulo ' qui pro nobis crucifixus es ' sedulo et acriter adversatus sit[2], tum omni loco scribebat et admonebat, tum episcopos detorquebat ut hanc confessionem ecclesiis et urbibus suis exsecarent, et ab episcopis aliis quos recenter creaverat confessiones[3] postulabat eos hanc confessionem de regionibus suis abolituros. Quod cum ut iussa erant perficere studerent, tum offensio et blasphemia[4] in urbibus et in χώραις, in pagis videlicet, et in omnibus regionibus, exorta est, et praesertim 118. Syriae et Asiae et Cappadociae, quae * hanc confessionem principio tenuerant. Quamobrem in pagis multis et in urbibus contenderunt et surrexerunt, dicentes, « Si secabimur et concremabimur, Deum qui pro nobis crucifixus et passus est non negabimus ». Et haec contentio et certatio etiam post mortem Eutychii ubique obtinuit. 10 15 20

LIBER II narrationum *historiae* ecclesiasticae[5] finitus est, in quo comprehensa sunt capita LII. 25

INITIUM LIBRI III narrationum ecclesiae. ⌈in quo sunt capita LV[6] quae sunt haec. Caput I, de initio eiusdem libri. II, quod rex malis se dedit et ad ea egressus est, et de castigatione quae eum invasit. III, de eis quae oblectationis causa erga regem usurpant. IV, de eis quae de regis tentatione dicebantur. V, quomodo Deum amans Tiberius Caesar factus sit. VI, de decessu Iustini, et regno misericordis Tiberii. VII, de Sophia regina. VIII, de uxore Tiberii Caesaris. 30

[1] Excidit fortasse ' excerpta '. — [2] Hoc in III, XIX narratum est, quod Ioh. se iam edidisse fortasse putabat (vide cap. L). — [3] ὁμολογίας. — [4] Sic. — [5] ἐκκλησιαστικός. — [6] Ms. om.; cf. libr. II., init.

IX, de uxoris Caesaris in palatium[1] ingre[illegible]u. X, de Sophia regina. XI, de initio regis Tiberii. XII, de eo quod *accidit* cum Caesar a patriarcha[2] sollicitaretur. XIII, de persecutione quae in haereses iussa est. XIV, de consulatu[3] eiusdem regis Tiberii. XV, de persecutione. XVI, de eversione[4] conventiculi quod in Marino[5] *erat.* [illegible]II, de E[illegible]tychio patriarcha. XVIII, de eodem Eutychio et de supe[illegible] eius. XIX, quomodo Eutychius articulo 'qui pro nobis crucifixus e[illegible]' [illegible]versatus sit. XX, de ira et odio quod Eutychio contra partem orthodoxorum fuit. XXI, quod rex utpote * ingenuus se persecutioni non dedit. XXII, de mansuetudine regis Tiberii. XXIII, de aedificio quod rex Tiberius aedificavit. XXIV, de pharo[6] Iustini, quam Tiberius diruit. XXV, de tentationibus et bellis quae regem Tiberium circumsteterunt. XXVI, de romanis[7] et Gothis arianis qui ecclesiam a rege rogaverunt. XXVII, de eis quae a paganis perpetrata sunt. XXVIII, de eis quae Edessae a paganis perpetrata sunt. XXIX, de seditione[8] et de eis quae Antiochiae perpetrata sunt. XXX, de eis quae in urbe regia in ratione paganorum perpetrata sunt. XXXI, de seditione[8] quae in urbe regia propter paganos facta est. XXXII, de regis in urbem ingressu et ceteris *rebus*. XXXIII, de eis quae in iudicio paganorum perpetrata sunt. XXXIV, de eis quae in eo iudicio paganorum perpetrata sunt. XXXV, de caede acerba Eustochii. XXXVI, de monasterio magno D'RYR' quod inter paganos aedificatum est. XXXVII, de tentationibus et adversitatibus quae monasterium adortae sunt. XXXVIII, de morte subita Eutychii. XXXIX, de Iohanne qui ei successit. XL, de Mondir filio Harith et de accusatione quae in eum facta est. XLI, de Mondir ad Magnum adventu. XLII, de quattuor filiis Mondir, et de eis quae perpetraverunt. XLIII, de descensu Magni secundo, et de morte eius. XLIV, de pace et quiete brevi quae in urbe regia orthodoxis fuit. XLV, de caritate quae in urbe regia subito facta est. XLVI, de strage infantium ingente. XLVII, de rege Tiberio, et de tempore mortis eius. XLVIII, quod Tiberius unionis in ecclesia faciendae consilium inibat. XLIX, quod uxor Tiberii ob inscientiam orthodoxos oderat. L, de tribus reginis quae post Tiberii mortem una in palatio[1] habitabant. LI, * de Iohanne qui post Eutychium patriarcha factus est. LII, de misericordia et liberalitate eiusdem patriarchae Iohannis. LIII, de patriarchae Iohannis contra pa-

* p. 119.

* p. 120.

[1] παλάτιον. — [2] Ms. ' palatio '; e p. 101, l. 23 correxi. — [3] ὑπατεία. — [4] Ms. ' fuga '; e p. 105, l. 8 correxi. — [5] Sc. domo Marini (p. 105). — [6] φάρος. — [7] Sc. militibus. — [8] στάσις.

ganos certaminibus[1]. LIV, de inclusione Mondir et ex urbe regia in exsilium[2] longinquam eiectione. LV, de uno e primoribus Mondir cui nomen Sergius viro fideli qui ipse etiam in exsilium[2] pulsus est. LVI, De Na'man filii Mondir ad urbem regiam adventu.

LIBER III 5

LIBER III PARTIS III *historiae* ecclesiasticae[3] de narrationibus ecclesiae et ceteris *rebus*.

CAPUT I, de initio eiusdem libri. — Quoniam igitur de eis quae initio temporis regni huius victoris Iustini alterius gesta sunt in opere priore[4] a nobis satis actum est, et de 10 eo quod initio se unionem facere studuisse ostendit, et usque ad annum sextum regni sui erga totam fidelium partem serenus erat et tranquillus, quemadmodum etiam, cum ad persecutionem duram et effrenatam se tandem convertisset, quod ad haec *attinet* in duobus libris hunc antecedentibus pauca 15 de multo breviter notavimus[5], quando etiam de castigatione quae de caelo in eius adiumentum et impetum cursus malorum eius sedatura in eum missa est memorias paucas obscure fecimus, quandoquidem de singulis rebus ea de causa siluimus ne in contumeliam vel opprobrium ordinis alti maiesta- 20 tis regiae plagam Dei misericordia plenam quae in eum iuste missa est notare et memoriae tradere aperte ausi esse crederemur, idcirco[6] tunc impediti sumus, nunc autem, ut metum * eis 121. iniciamus qui magnis principatuum potestatibus postea cingentur, et ut Dei iudicium terribile quod regem Iustinum con- 25 secutum est in terrorem depingatur et in corde omnium hominum pingatur, quod ad haec *attinet* ad memoriam litterarum breviter proferre decrevimus.

CAPUT II, de eo quod accidit cum rex malis se dedisset et ad ea egressus esset, et de castigatione quae in eum a Deo adiumen- 30 ti eius causa missa est. — Deus igitur misericors, qui creaturae suae excidium non vult, et hominum vitam curat, cum re-

[1] ἀγών. — [2] ἐξορία. — [3] ἐκκλησιαστικός. — [4] Sc. parte II historiae perdita). — [5] II, VII, XXV. — [6] Confuse currit clausula.

gem Iustinum quasi regni potentia se *rebus* supervacuis et Dei timori alienis dedisse et ad eas egressum esse vidisset, ea de causa ne, si futurum esset ut peccatorum eius mensura compleretur, eum et obrueret et penitus perderet, cum eum ad
5 sanguinem hominum innocentem inique effundendum se adplicuisse vidisset, et rapinae et bonorum spoliationi temere et Dei timore non impeditum se dedisse, et rapinam iniquam magis quam plerosque antecessorum suorum collegisse et coacervasse, et praeter haec item, pro eo quod omnia mala peccando fe-
10 cit et Deum exacerbabat, se ad Christianorum persecutionem etiam duriter et saeve et sine misericordia naturali convertisse, eo quod orthodoxorum altaria stomacho acerbo per Iohannem episcopum subvertisset, et fidelium ecclesias quae ubique *erant* demolitus esset, et sacerdotes et principes sacerdotum com-
15 prehendisset et adflixisset et vexasset et in carceribus inclusisset, et in praetoriis et monasteriis et xenodochiis[1] diversis acerbis, homines senes et aetate provectos et debiles, *ita* ut multi in eis tribulationibus interierint et de vita terrestri evanuerint, et tribulationibus et cruciatibus et vinculis et cus-
20 todiis angustis acerbis et duris cruciati obierint[2]; etenim alia etiam multa et mala quae non enumerantur fuerunt quae ab eo inique perpetrabantur, quae nos *memoriae tradere prorsus nolumus, et ea testari, quemadmodum harum *rerum* patratio et ceterarum eis similium Dei iustitiam non latet, necnon,
25 quod clementia erga eum usa est ne prorsus periret, sed, si futurum esset ut deterreretur, ab impetu malorum suorum etiam cohiberetur, deinde Deus indignationem et iram et tribulationem ut scriptum est[3] in eum misit, quam per angelum malum misit, qui subito ingressus in eum introiit et duriter ac terri-
30 biliter dominatus est, venenum malitiae suae in eo declarans, eo quod mentem eius subito perdidit, et anima eius perturbata et obscurata est, et corpus tormentis occultis et apertis et cruciatibus duris traditum est, unde animalium vocibus uteba-

* p. 122.

[1] ξενοδόχας. ξενοδόχη = ξενοδοχεῖον a. Ioh. in *P. O.* XVIII, p. 609, XIX, p. 101 etiam usurpatur. — [2] Clausula longa hic interrumpitur et sine verbo principali relinquitur. — [3] *Rom.*, II, 8, 9.

tur, et ut canis latrabat, et interdum ut caper balabat, et interdum ut feles, et interdum etiam ut gallus clamabat, et multa huiusmodi quae menti humanae aliena sunt, quae a principe[1] tenebrarum *sunt*, cui traditus erat, qui intellegentiam eius obscuravit et eum captivum fecit et omnia quae agebantur in eo operabatur, et terrore etiam et trepidatione eum impellebat, ita ut impetu immani de loco in locum fugeret, ut sub lectum suum ingredi posset et ad parietes confugeret, necnon, quando cito surgebat, impetu agitato et immani proficisceretur *et* ad fenestras curreret sese deiecturus, et, cum eum ut regem metuerent, currerent eumque comprehenderent, ne se deiceret et moreretur. Quamobrem regina mandare coacta est ut lignarii ascenderent et clavos[2] ponerent et omnes fenestras palatii[3] lateris totius in quo habitabat obturarent. Cubicularii enim adulescentes validi eum custodituri lecti sunt. Quamobrem, cum hi currere et eum comprehendere, ut dicitur, cogerentur, * p. 123. quoniam * vir validus fuit, conversus singulos comprehendebat et dentibus mordebat eosque lacerabat, ita ut duo eorum in collis eorum nociturus (?)[4] momorderit, et male eis fuerit, adeo ut fama in urbe exierit, « Rex duo cubicularios comedit ». Postremo autem, ut dicebatur, funibus etiam eum ligare cogebantur, dum clamat et lamentatur, et verba vecordiae loquitur. Et in eum clamabant, « En Harith bar Gabhala subito contra te venit », et statim fugiebat et ingrediebatur et perfugium petebat. Et, si quemvis eius terrendi causa nominabant, ita fugit et quiescit et sub lecto se celat. Multa etiam his ineptiora per totam urbem ab omnibus extra legem[5] sine timore narrabantur, ita ut partem etiam fama multorum nunc litteris mandaverimus, quod haec assidue narrabantur; nec paucos dies, sed et usque ad tempus quinque annorum tentabatur et percutiebatur. Et ex historiis eorum haec pauca protulimus, cum non adfuerimus nec eorum spectatores facti simus. Veritatem autem eorum et totus senatus[6] et tota urbs, domestici cum ex-

[1] ἄρχων. — [2] Vox ܠܒ̈ܢܬܐ in MICH., p. 287 c, l. 20 (vers. II, p. 207 b, l. 5) occurrit et ἥλους (IO. MAL., p. 452) reddit. — [3] παλάτιον. — [4] Hoc corruptum esse videtur. — [5] νόμος. — [6] σύγκλητος.

ternis, testantur ea vere et exacte facta esse, cum multis aliis *rebus* quas litteris mandare non decet.

CAPUT III, de eis quae oblectationis causa erga regem usurpabant, et ceteris *rebus*. — Tandem vero, cum regem oblectare
5 quaererent, et mentem eius in eo colligere eique reddere, plostellum parvum fecerunt in quo sederet, et sedile insuper; itaque eum sedere faciebant, et cubicularii eum trahebant et diu huc et illuc cursu rapido ire faciebant. Itaque * cursus celeritatem mirabatur et stupebat, et a multis stultitiis temperabat. * p. 124.
10 Necnon eum organi [1] sonitu obstupefaciebant, cum organum [1] exadversus locum qua erat noctu diuque usque ad breve tempus vel noctis vel diei loqueretur [2], et interdum, cum organi [1] sonum et modos auscultaret, silebat et fortasse subito surgebat cito et clamabat, et *verbis* [3] indecoris utebatur.
15 Patriarcha enim eum visitaturus ingrediebatur, et, cum ad eum appropinquasset eumque adorasset, eumque perturbatum esse vidisset, eum *cruce* signavit. Is vero manu levata eum in collo percussit, et abiit et spatio haud parvo ab eo cecidit, dum dicit ei, « Exitus malus ⌜tibi erit si [4] non abibis et te ipsum
20 signabis, ut tui ipsius daemones egrediantur », itaque animam suam collegit, cum alii eum comprehendissent et sublevassent. Et tempus haud parvum stupebat ob collum quod percussit.

Tandem vero rursus, ut mos est (nec potest patriarcha palatium [5] non intrare), ibat et ad eum ingrediebatur, circum-
25 specte et sibi ab eo praecavens. Qui cum eum vidisset contra eum ridere incepit, et ad eum appropinquavit, et, manibus porrectis, pallium eius, orarium [6] videlicet episcopatus eius, de humero eius dempsit, idque extendit et super caput eius ut mulieris cucullum collocavit, et dixit ei: « Quam pulcer nunc vi-
30 dereris, domine patriarcha, si cirros [7] ei addidisses ut fila quae mulieres capitibus suis imponunt ». Praeterea in littus maris despiciebat, et ut qui circumeunt et ollas vendunt et eorum instar clamabat et dicebat: « Quis ollas emet? », cum ceteris

[1] ὄργανον. — [2] Sic. — [3] Aut 'factis'. — [4] Ms. om. Textus fortasse verti potest 'Ex. malus! Nonne abibis'. — [5] παλάτιον. — [6] ὠράριον. — [7] κροσσία.

multis quae non narrantur nec dicuntur quae ab eo fiebant, per operationem diaboli cui traditus erat. Quamobrem in om-
* p. 125. nibus urbibus et omnibus pagis, * et in domibus et vicis et tabernis omnibus urbis externis et internis, itemque in viis haec cum miratione multa et stupore ab omnibus hominibus dice- 5
bantur.

Caput IV, de eis quae de regis tentatione dicebantur. — Cum igitur tanta ignominia et tentatione acerba rex castigaretur, multi de eo censebant[1] et loquebantur, in primis autem uxor eius Sophia regina, quae non solum plaga et tentatione 10
et castigatione illius non castigata et territa est, sed et magis elata est, dicens, « Regnum meum erat et ad me venit. Et hic mea causa castigatus est et in hanc tentationem incidit, quoniam me contemnebat et vexabat ». Quod omnibus non ita visum est, sed et omnes id male dictum esse persuasum habebant, 15
ut de his *rebus* etiam postea tempore proprio referemus.

Quod autem omnes esse putabant et verum est[2], non dicebant, Deum iram in eum de caelo non[3] misisse, nisi propter haec tria capitula[4], propter sanguinem innocentem quem effudit, et propter Christianorum persecutionem, et tormenta et tribulationes 20
et inclusiones angustas, et exsilia[5] quae sacerdotibus et principibus sacerdotum et cetero fidelium populo inflixit, virorum et mulierum, necnon propter bonorum rapinam et direptionem quae possidebant homines, quod orphanos patrum hereditates accipere non sinebat, et querelam orphanorum et viduarum 25
quae ante Dominum ingressa est cum ceteris *rebus*, et ei iratus regnum eius alii tradidit dum ipse vivit et oculi eius vident.

* p. 126. * Caput V, quomodo Dei amans Tiberius Caesar factus sit, et de ceteris *rebus*. — Cum rex Iustinus in hac tentatione et ceteris morbis et tentationibus aliis tempus quinque annorum 30
permansisset, et sextum incepisset, dum ita operatione daemoniaca castigatur et tentatur cum res omnes exinde praetermitterentur, et omnia totius reipublicae[6] negotia impedirentur, et

[1] Sic. Legendum fortasse ‘ multa ’ pro ‘ multi ’. — [2] Aut ‘ esse ’. — [3] Ms. om. — [4] κεφάλαια. — [5] ἐξορίας. — [6] πολιτεία.

bella a barbaris *orta* ex omni parte abundarent, tum totus senatus [1] cum regina consilium inierunt ut regi auctores fierent ut Caesarem post se propter reipublicae [2] res constitueret, quod [3] ipse verbis eorum adsensus est. Erant enim ei tempora quibus
5 quamvis confuse mens eius in eum veniebat, et nonnulla [4] sane loquebatur. Cum enim multum cum eo deliberassent, Tiberium elegerunt et Caesarem constituerunt, qui ipsius regis Iustini iam diu et antequam regnaret notarius [5] erat. Quem cum vocasset et regni habitu [6] et vestitu vestiturus statuisset, appa-
10 ruit ei, ut ipse confessus est, angelus qui iuxta eum staret et in aurem eius diceret quidnam Tiberio Caesari loqueretur; et rex verba mira ac stupenda, tamquam mens eius numquam turbata esset, loqui incepit, cum fletu et lacrimis lamentabilibus diceret: « Fili Tiberi, veni regnum accipe Iustini miseri
15 qui Deum provocavit, quemque Deus cum ipse viveret regno eius abdicavit et deiecit. Veni, fili, ingressus eum expelle qui Creatorem suum qui ei regnum contulit iniuria adfecit dum eum e regno suo abdicari et decidere oculi eius vident »; cum ipse haec voce alta coram milibus multis clamaret. Quamobrem
20 fletus acerbus et gemitus amari omnes qui audiebant occupaverunt, et praesertim cum * retro conversus ad omnes milites qui stabant manum iactavit et voce alta eis dixit, « Aperite, filii, portas omnes quae palatium [7] custodiunt et omnes homines ingredi sinite ut miserum Iustinum videant qui regno suo exui-
25 tur et decidit, quoniam Regem verum cuius regnum in aeternum non praeterit [8], qui eum indignum regem fecit, quia eum provocavit et exacerbavit. Ideoque, Tiberi, in me sit tibi pavor, et ante Dominum Regem aeternum treme ac time, et ab eo cave, nec eum malis factorum tuorum provocaveris, sicut ego eum
30 omnibus factis et moribus meis provocavi, et tanta castigatio dura ac terribilis in me missa est. Et nunc en ipse vivus regno exuor et abdicor, quia inique in eo me gessi. Vide ne hic vestitus et habitus [6] regni te decipiat, sicut me etiam decepit, et te efferat et decipiat et superbum faciat, et iram de caelo in te
35 mittat sicut in me, et ipse etiam regno tuo exuaris et decidas

* p. 127.

[1] σύγκλητος. — [2] πολιτεία. — [3] Sic. — [4] Litt. ‘partem eorum’. Aliquid fortasse excidit. — [5] νοτάριος. — [6] σχῆμα. — [7] Litt. ‘domum regni’. Ms. ‘regnum’. — [8] Sc. ‘provocavit’, sed clausula aliter completur.

sicut ego etiam hodie. Vide, fili, eum qui iuxta me stat et mihi in auribus loquitur et omnia me docet quae tibi dicam et te doceam et iubeam et commoneam; et sci et intellege et in mente tua reputa quae nunc tecum loquor non mea esse sed ab hoc angelo Dei *dici* qui, si tu etiam vel alius quis eum non videtis[1], iam iuxta me stat et quae apud te loquor me docet, ut sententiam aequitatis terribilem tremas ac timeas, quae in me decreta et missa est, ut et tu et omnes iam videtis, et, quoniam iussa eius non servavi, me iam regno exuit ac deicit, quod tibi iam tradit. * Me dehinc contemplare, fili, et a me pavoris et tremoris cordis tui typum[2] tibi sume, a sententia quae in me exiit, nec malis faciendis incubueris, sicut ego faciebam, et in te etiam ira de caelo mittatur, sicut in me etiam nunc, et te etiam regno tuo abdicet. Vide etiam ne hominibus malis pareas[3] qui tibi mala suadebunt et te decipient sicut me etiam deceperunt, et Deum factis meis in omnibus *rebus* provocavi »[4].

* p. 128.

Haec igitur et plura, quorum propter multitudinem eorum haec parva excerpta protulimus, *sunt* quae ab ipso rege dolore ac fletu voce alta coram omnibus dicebantur, cum illustris Tiberius etiam, pallio prorsus nudatus et pronus ad regis pedes in terra prostratus et ut taurus clamans, et ipse etiam fletu lamentabili et amaro cum toto senatu[5] et ceteris coetibus qui circumstabant adflictione multa clamarent[1], cum haec omnia audirent eumque ⌈regnum suum tradentem viderent, et eum qui id accepturus vocabatur, qui clamore maesto tenebantur[6]; et, cum Tiberium sublevarent et erigerent, is rursus pronus cum clamore concidebat.

Tum coetus omnes simul una voce clamoris maximi e corde *orta* voce alta clamabant, cum nemo lacrimas suas etiam reprimere vel continere valeret, ob ea quae a rege audivit, quae de humiliatione sua flens dicebat.

Tum demum iussit, et eum erexerunt; et is rursus cum his gemitu multo cum eo loquebatur.

[1] Sic. — [2] τύπος. — [3] Ms. 'persuadeas'. — [4] Mich. (II, p. 335) multa alia habet, quae ap. Theoph. Sim., III, xi etiam inveniuntur. — [5] σύγκλητος. — [6] Legendum fortasse ܠܗܘܢ pro ܠܗ et vertendum 'qui regnum suum tradebat et eum ... vocabatur cl. maesto teneri viderent'.

Tum eum apparatu et vestitu et habitu[1] regni vestivit, dicens ei: « Dehinc *nomen tuum vocabitur Constantinus, pro eo quod in te regnum Constantini magni renovatum est », et cetera verba alia gemitus et adflictionis infinita quae ibi dicta sunt, quemadmodum multa milia *hominum* ea conscripserunt. Tiberius autem Caesar factus est die mensis kānun primi[2] 7° eius, anno 886, die praeparationis mane. Quamobrem omnibus hominibus notum et compertum est omnia haec verba revera ab angelo Dei cum eo dicta esse, nec ab ipso rege exorta esse. Quamobrem, cum tandem simulacra ambobus statuta sunt, angelus inter eos effictus est qui stabat et os ad aurem regis Iustini apponebat, itaque hoc fideliter ab omnibus acceptum est.

* p. 129.

Omnia vero quae ab eo dicta sunt a multis statim notis[3] exarabantur, et scriptis tradita sunt. Stabant enim notarii[4] multi, et ⌈exscriptum exactum (?)[5] faciebant, quae nos ob multitudinem eorum omisimus et neglexímus.

Caput VI, de fine regis Iustini, et regno misericordis Tiberii. — Postquam igitur rex Iustinus Tiberium Caesarem destinavit, annos 4 cum eo vixit, cum et ei et omnibus sanationis eius spes esset, et praesertim pro eo quod subinde, ut toti urbis populo ostenderetur, eum portabant et mane tantum ad circum[6] exibat, et aliquando etiam sedebat, et senatus[7] adorationem accipiebat, et interdum etiam rogam[8] faciebat, cum aurum in manum eius ponerent, et ipse in manus eorum qui recepturi erant imponeret, et rursus in eandem *tentationem revertebatur, morbis et tentationibus aliis ei insuper additis cum morbo stranguriae qui cum omnibus *rebus* eum cruciabat, et semper retrorsum ambulabat, cum a Dei amante Caesare omnia negotia exinde administrarentur, et praesertim bellorum barbarorum et Persarum; qui eum consulebat, et, quando sanus erat et mente sua verba dicebat, *ea* faciebat.

* p. 130.

[1] σχῆμα. — [2] Decembris. — [3] σημεῖα. — [4] νοτάριος; marg. 'scribae', quod explicatio esse videtur. — [5] ἀκριβείαν (?). Ms. 'q l y b n'. Vide Brockelm. in *Lexico*, et Fraenkel, *Zeitschrift f. Assyriologie*, XVII, p. 35. Smith in *Thesauro* nomen gr. ab ἐκλαμβάνω derivatum esse putat et 'summarium' significare. — [6] ἱππικός. — [7] σύγκλητος. — [8] ῥόγα.

Cum vero tempus haud modicum quod supra diximus praeteriisset, nec quod de sanatione eius et ab eo et a multis exspectabatur factum esset, sed et magis morbi et cruciatus acerbi ei adderentur, saepe clamabat et adiurabat, « Gladium afferte, et me eo occidete, quoniam hac vita cruciatus et miseriae mors 5 mihi multo melior est » ; et aliquando clamabat « Omnes palatii[1] portae aperiantur, et omnes homines ingrediantur *et* regem videant mortem poscentem, eamque magis quam vitam expetentem, eamque non consequentem ». Postea autem, cum stranguriae morbo et lapidibus qui intestina eius obstruebant magis 10 cruciaretur, et ad angorem redactus esset, et medici advenissent eum incisuri, cum medicorum more metuerent, eum rogaverunt ut ipse scalpellum caperet, eisque daret. Is autem eos adiurabat ne ei parcerent, ut de vita migraret, dicens, « Nolite metuere. Periculum[2] vobis non erit si moriar ». Deinde duriter 15 in ⌜utraque inguinis parte[3] incisus est, donec omnia pudenda eius enervata sunt, et, ut dicunt, donec ipsum membrum virile eius enervatum et sectum est ; et, cum cruciaretur et lamentaretur, voce alta dicebat, « Iusta *sunt* iudicia tua, Deus. Iam

* p. 131. enim hic omne illud quod peccavi et mala * quae corpore feci 20 in ipsis membris quibus peccatum feci in eis ira mihi aperte reddita sunt ».

Cum vero exinde de vita desperasset, et se moriturum statuisset, Caesarem vocavit ; et, cum multa ei mandasset, eum etiam admonuit, dicens : « Ego, fili, morior, sed nunc veni regni 25 coronam accipe, et cave ; nec mala factitaveris et Deum provocaveris ; et regno Romanorum prospice ». Itaque Tiberius diadema accepit die mensis ilul[4] 26° eius, secunda feria, anni 890.

Postquam autem Iustinus ei diadema imposuit, dies 9 cum 30 eo vixit, et e mundo excessit die mensis tešrin prioris[5] eiusdem anni, 4° eius.

Caput VII, de Sophia regina et ceteris *rebus*. — Post obitum vero regis Iustini regina Sophia uxor eius cum rege Tiberio in

[1] παλάτιον. — [2] κίνδυνος. — [3] Aut ‘ utroque testiculo ’. — [4] Septembris. — [5] Octobris.

palatio [1] mansit, qui magnos honores ei promittebat. quamquam ea honorem suum ut scriptum est [2] non respexit. Cum enim, priusquam eum Caesarem faceret, pacta [3] et iuramenta multa ab eo postularent, si rex moriturus esset, Caesarem ipsam So-
5 phiam honore habiturum, nec malum ei facturum, qui valde ut apparet *verbum* servavit, tum, mortuo rege Iustino, eam ad se in palatio [1] cum honore recepit, dicens ei, « Mater mea es. Hic habita, et mihi quod vis impera ». Incepit vero eam de uxore sua rogare ut veniret et ad eum ingrederetur postquam
10 rex factus est. Ea autem non gavisa est, nec ei placebat. Vivens enim Iustinus etiam ei dicebat, « Sine Caesaris uxorem ad eum ingredi quod puer adulescens * est, nec corpus suum continet ». Ea autem ei adversata eum obiurgavit, dicens ei « Stulte, visne me stultam tibi similem fieri, qui servum tuum
15 habitu [4] regni tui vestivisti? ». Ea vero iuramento adfirmavit, « Ego regnum et habitum [4] meum dum vivo alii non dabo, nec alia dum vivo huc ingredietur ». Itaque mansit ipsius Caesaris uxor, cum quattuor annis qui Iustini mortem antecesserunt quando Caesar consedit uxorem eius palatium [1] intrare non si-
20 visset, donec uxorem suam et filias duas adducere coactus est et in domo Hormisdae subter palatium [1] collocare, et ipse unoquoque die descendebat et apud eas pernoctabat, et mane ad palatium [1] ascendebat [5]. Et, ut fama erat, per alium et per patriarcham colloquium cum eo habitum est ut aut ipsam So-
25 phiam aut filiam eius, quae ipsa vidua erat, Caesar, uxore sua repudiata, unam [6] earum sumeret. Qui cum audivisset, valde indignatus est; et, ut famae erant, indignatione multa ad eos qui ad eum missi erant respondit, dicens: « Placetne Deo et vobis ut uxorem repudiem e qua tres liberos habeo, et quae
30 ipsa coniunctionem [7] mihi fecit cum nihil haberem, et nunc ubi Deus me magnificavit eam repudiem et aliam sumam? »; itaque ut hanc iniquitatem sibi susciperet et faceret ei non persuasum est.

* p. 132.

[1] παλάτιον. — [2] *Ps.* XLIX, 21. — [3] ὁμολογίας. — [4] σχῆμα. — [5] In marg. alia manu scr. est 'O mulieres, quam malae estis'. — [6] Sic. — [7] συγκρότησις. Si lectionem ܥܒܕܬܢܝ retinemus, legendum est ܣܘܢܩܪܝܠܡܣܐ et vertendum 'me συγκροτῆσαι fecit' (sc. univit, cf. p. 26), quod non intellego.

Caput VIII, de eadem uxore Tiberii Caesaris, cui nomen fuit antea Iono (?)[1] et ceteris *rebus*. — Uxor vero Caesaris, cui nomen fuit Iono (?), virum alium antea habuerat cui nomen Iohannes (romanus[2] * erat, optio romanorum); et ipsa e Daphnudio castris erat. Quibus filia erat, quam Tiberio desponderant cum paganus[3] tantum et romanus[2] esset. Accidit autem ut puellae pater mortuus sit, et ipsa etiam mortua sit antequam Tiberius eam duceret[4]. Et, cum ea mortua esset, et mater eius vidua mansisset, cum forsitan et providentia etiam quaedam Dei facta esset, puellae matrem cepit, et fuerunt ei ex ea tres liberi. Quam cum arcessivisset et ad domum Hormisdae adduxisset, trepidatione et timore adficiebatur de vita sua haud confisa, cum in Hormisda[5] habitaret, cum nemo eam adire et videre auderet. Cunctae enim mulieres senatoriae[6] convenerant, quoniam eam salutatum ire timebant ne regina eis irasceretur. Deinde reginam Sophiam consulturae ingressae sunt, an eas ire et Caesaris uxorem salutare iussura esset, ne postremo vituperarentur. Quae cum ab eis audivisset, iracunde eas intuita, aspere eis respondit, dicens, « Abite *et* silete[7], hoc vestrum non est ». Et nemo amplius ad eam ire et eam videre ausus est. Quamobrem aufugit et ex urbe exiit, et Daphnudium rursus adiit. Quamobrem, cum in morbum etiam incidisset, Caesar ad eam exire eamque videre et reverti coactus est.

* p. 133.

Caput IX, de uxoris Caesaris in palatium[8] ingressu postquam regnavit, et ceteris *rebus*. — Mortuo autem Iustino, postquam Tiberius regni diadema accepit, ut supra rettulimus, reginam Sophiam obsecravit ut *ipse* uxorem suam arcesseret et *ea* ingrederetur * et ipsa etiam regina fieret. Quod cum audivisset Sophia, ei non placuit, nec contenta est, atqui[9] impedire non potuit.

* p. 134.

[1] Sm. Schönf. 'Ino', sed hoc syriace scriberetur ܐܝܢܘ. — [2] Sc. miles. — [3] παγᾶνος, sc. privatus, nullo munere praeditus. — [4] In marg. alia manu 'Considera'. — [5] Sic. — [6] συγκλητικός. — [7] In marg. alia manu 'Vide'. — [8] παλάτιον. — [9] Hoc ܗܘܐ ܕܝܢ saepe significat.

Missus est vero ad eam adducendam praefectus[1] praetorii cum ceteris senatoribus[2] et dromonibus[3] multis, et exercitu magno. Qui cum pompa magna regis uxorem ut ea etiam regina fieret introducturi exiissent, et Daphnudium pervenissent
5 et didicisset, nuntium eis misit, « Mane venietis et una *urbem* intrabimus ». Et, cum hi hoc responsum[4] accepissent, hospitium eis paratum est, et ingressi deverterunt. Ea autem fidelium[5] suorum quendam statim misit, dicens, « I *et* dromonem[6] unum nobis compara, quod noctu mature proficisci volo
10 et responsum[4] per te mittere, nullo sciente ». Cum vero dromo[6] media nocte comparatus esset, duas puellas suas adduxit, et fidelem[5] unum, et degressa ipsa sola cum eis dromonem[6] conscendit aliis relictis qui praefecto[7] et ceteris dicerent, « Nolite hic morari. Ea autem quam quaeritis ante lucem in urbe est ».
15 Qui, cum didicissent, molestissime tulerunt; et ad urbem pudefacti redierunt, quod ita inanes redierunt. Ea vero ad palatium[8] statim ducta est; et episcopus ingressus est cum toto senatu[9] et rege, et ipsam etiam vestibus et toto apparatu regni vestiverunt. Et in basterna[10] regia egressa est ecclesiam aditura,
20 cum senatu[9] et cubiculariis, factionibus paratis; cui cum hae clamare incepissent, veneti quidem eam Anastasiam nominaverunt, prasini autem Helenam, cum illi Anastasiam clamarent, et alteri Helenam. Et tumultus magnus factus est et timor, adeo ut ipsa et omnes qui cum eo *erant* trepidarent. Ecclesiam
25 vero intravit et adoravit, * itaque ad palatium[8] rediit, et regnum obtinuit. Dehinc de multis quae inter eos postea gesta sunt non nostri est narrare. Neque enim de his *rebus* tractare potuissemus, nisi pro eo quod regni historiae ad ecclesiasticas spectant, et pro eo quod regni mutatio facta est, et ut omnibus
30 ad Dei gloriam nota fieret.

* p. 135.

Caput X, de Sophia regina, et de eis quae ei tandem acciderunt. —Sophia vero regina, post obitum regis Iustini, dolis haud paucis adversus regem Tiberium, qui Constantinus etiam appellatus est, in stomacho amaro et in obligationibus iniqui-

[1] ὕπαρχος. — [2] σύγκλητικός. — [3] δρόμωνας. — [4] ἀπόκρισις. — [5] πιστικός. — [6] δρόμων. — [7] ὕπαρχος. — [8] παλάτιον. — [9] σύγκλητος. — [10] βαστέρνιον.

tatis[1] machinabatur, *eo* exacerbata quod eum et uxorem eius ingressos esse videbat et *rebus* potitos et in regno dominatos, et se ipsam dehinc regno suo vivam eiectam in quo iniuste et sine timore Dei se gesserat, quae mariti sui tentatione et castigatione non castigata et adfecta est, quasi etiam non percepisset se ipsam oportere Deum timere et castigari et ut iustorum unum fieri, sed secundum verbum apostolicum ad tales *dictum* quod dicit, « Propter duritiam cordis tui impaenitentis thesaurum irae tibi reponis in diem irae et revelationem iusti iudicii Dei, qui reddet omni homini secundum facta eius »[2], ita erga hanc etiam completum est, quae propter duritiam cordis sui et superbiam cogitationum suarum, quod eam non paenituit nec Deum timuit, ipsa etiam regno suo decidit, quod iureiurando adfirmaverat se diebus vitae suae alii non daturam, et * regnum eius ei etiam invitae ablatum est et alii datum, cum ipsa eo decidit. Quando vero maritus eius mori coactus est, ut dicebant, centenaria multa de palatio[3] deportata in domum suam attulit, quorum numerum, quoniam ipsi veritatem compertam non habemus, scribere nolumus, quoniam numerosa *esse* dicebantur, cum rebus multis regiis. Quae cum rex didicisset, eam e palatio[3] discedere non sivit, dicens: « Mane et contenta es, ut mater nostra; et quodcunque imperabis nos faciemus ». Itaque in palatio[3] habitavit, amara et deiecta et turbata et tristis et de vita sua lamentans, quod imminuta et contempta erat et ab omnibus hominibus deserta, et ipsa vivens quasi non esset facta erat.

* p. 136.

Caput XI, de initio regis Tiberii. — Tiberius igitur, cum initio suo Caesar consedisset, dona omnibus profuse *dare* incepit, ita ut, quando ad preces vel quovis palatio[3] exibat ad dextram aut ad laevam, quasi ⌜donativum consulare[4] iaceret. Quamobrem, etiam cum in mari in dromone[5] esset, carabi[6] ex omni parte festinabant, et quasi ⌜donativum consulare[4] omnibus iaciebat, adeo ut increpationem et reprehensionem a regibus[7] acciperet, quod multum spargeret, adeo ut tempore quodam mitte-

[1] *Act.*, VIII, 23. — [2] *Rom.* II, 5, 6. — [3] παλάτιον. — [4] ὑπατεία. — [5] δρόμων. — [6] καράβια. — [7] Sc. rege et regina.

rent et fisci [1] claves [2] ei auferrent, et arbitrio eius aurum adsignaverint; itaque eum a donis profusis et multis refrenaverunt. Postquam vero regnavit et dominatus est, et ut dicunt, postquam regum gazas coacervatas vidit, rursus copiose ac large erogare et spargere incepit. Quamobrem, cum augustaticum suum, quod vocatur * donativum [3] romanorum [4] dare incepisset, (* p. 137.) quod novenorum daricorum *est*, quod rege noviter regnante datur, cum omnibus exercitibus large daret, eis qui in Oriente erant adversus Persas octo centenaria misit in donativum [3] eorum. Necnon, cum magis et profuse dona sua dissipare quaesivisset, id quod a nullo omnino rege factum erat, totum ordinem [5] scholasticorum ante se ingredi iussit, qui cum numerosi essent, unicuique eorum quindenos [6] et vicenos, et denos et duodenos et plus dabat. Necnon medicos omnes ingredi iussit, et omnes profuse receperunt; necnon argentarios [7] et trapezitas, et aliquando, si in mentem eius ascendit, libram [8] singulam et quinquagenos et sexagenos daricos unicuique eorum dabat; necnon magistrianos et decanos et milites [9] alios, cum diceret « Quare tantum aurum hic repositum est, et totus mundus fame suffocatur? ». Itaque sine parsimonia erogabat et spargebat. Postremo autem manum retinuit postquam plene regnavit, cum nemini facultatem daret, nec accessum [10] admitteret.

Caput XII, de eo quod accidit cum Caesar a Iohanne patriarcha sollicitaretur. — Cum igitur Dei amans Caesar a Iohanne patriarcha cottidie quod ad διακρινομένους, orthodoxos [11] videlicet, premeretur, die quodam eum per Deum adiuravit ut ei diceret utrum haeretici essent necne. Qui, quantumvis hypocrita esset, cum eum adiurasset, mentiri non potuit, sed ei respondit, dicens: « Revera haeretici non sunt, et optime credunt, * eo excepto quod nos et ecclesiam fugiunt et (* p. 138.) nobiscum communicare nolunt ». Deinde ei respondit, « Si ipse de eis testatus es eos christianos et fideles esse, quare igitur [12] me urges ut sicut Docletianus [13] Christianorum persecu-

[1] σακέλλιον, — [2] κλεῖδα. — [3] δωνατῖβον. — [4] Sc. militum. — [5] τάγμα. — [6] Sc. daricos. — [7] ἀργυροπρᾶτοι (sic). — [8] λίτρα. — [9] Sensu civili. — [10] προσέλευσις. — [11] ὀρθόδοξοι. — [12] ἄρα.. — [13] Sic.

tor fiam? I, quiesce, et sile. Bella barbarorum nobis sufficiunt, bella cum nostris noli in nos inducere ».

Caput XIII, de persecutione quae in haereses iussa est ob causam huiusmodi. — Cum igitur rex Tiberius qui et Constantinus regni diadema accepisset, tum statim processum[1] ad ecclesiam iussit ut iret *et* oraret, vivente adhuc Iustino. Qui cum ecclesiam intrasset, et universa urbs eum visura convenisset, cum populis peregrinis innumeris qui in ea aderant, cum regem secundum morem laudassent rursus etiam clamaverunt, « Evertantur ossa Arianorum. Evertantur ossa omnium haereticorum, similiter et paganorum. Magnificetur fides Christianorum ». Quae cum audivisset[2] cum vocibus primis quas ad eum de Arianis clamaverunt, valde eum piguit, et ibi ex ecclesia notum non fecit, sed oravit, et id deposuit quod secundum morem[3] regum novorum obtulit, et ad palatium[4] reversus est. Et statim eos qui ad eum in ecclesia de Arianis clamasse reperti essent conquiri et adprehendi iussit; opinionem enim ceperat eos de eo et contra eum clamasse, et, cum de eo putassent eum clam arianum esse, ad eum hoc clamasse, quod suspicio huiusmodi ab abscondita mente a multis haud remota erat. Paulo ante enim populus multus Gothorum et uxorum eorum qui ad bellum Persarum descenderant, quae et ipsae multae erant et arianae, convenerant, * et ad eum clamaverant ut ecclesiam eis in cultum eorum daret; qui, cum eis displicere noluisset, nuntium eis misit « Abite et videbimus, et cum patriarcha colloquemur ». Itaque fama per totam urbem priusquam diadema indueret susurrata est Caesarem arianum esse, quapropter curiosi ecclesiarum convenerunt et haec ad eum clamaverunt. Quos, cum eius mandato adprehensi essent et ante eum ingressi, ira magna recepit, dicens, « Quidnam Arianorum in me vidistis quod mihi contumeliam imposuistis et apud me de Arianis clamavistis? ». Et, cum excusationes multas ei fecissent, vix soluti sunt. Deinde et ob hanc causam iussit et typum[5] fecit et in urbe proposuit, ud adpre-

[1] πρόκενσον. — [2] Ms. 'audivissent'. — [3] νόμος. — [4] παλάτιον. — [5] τύπός.

henderentur, fortuito[1] videlicet, Ariani et Montani[2] omnes et Sambatiani; et multi adprehendi et carcere includi inceperunt ab eis qui hominum aperte et sine timore spoliandorum occasiones invenerunt. Itaque large pecuniam dabant et dimit-
5 tebantur. Quamobrem orthodoxi[3] etiam multi cum eis adprehensi sunt, et multos dies in tribulatione inclusi; et ab eis etiam postulabatur ut argentum darent, et deinde solvebantur singuli et exibant.

Caput XIV, de consulatu[4] eiusdem regis Tiberii et ceteris
10 *rebus*. — Eodem igitur anno quo rex Tiberius plane regnavit ⌈donativum consulare[4] magnum iecit, *ita* ut, sicut et ab eo et ab omnibus dicitur, centenaria septuaginta duo iecerit, praeter argentum et pallia *materiae* holosericae et cetera; et divites et satellites (?)[5] ditavit, pauperibus autem nihil profuit. Sophia
15 vero ei irata et eum reprehendit et dicit, « Id * quod nos diligentia ac cura multa collegimus et reposuimus tu sicut vanno ad ventos dispergis ». Is autem ei dixit: « Eius quod iniquitate et spoliatione et rapina collegistis hoc mihi curae est ne reliquiae in palatio[6] meo de eo[7] maneant ». Antea vero mandaverat
20 ut omni regioni vectigalium[8] quarta pars remitteretur. Et rursus, postquam imperator[9] factus est, quoniam panibus civicis[10] Constantini regis quattuor darici a Iustino singulis impositi erant et eos exigebant, rex Tiberius mandavit et tota illa pecunia quicunque eam dederat ei reddita est. Necnon
25 opus aliud misericordiae statim ut Caesar factus est fecit; quoniam navibus et mercatoribus[11] omnibus *id* impositum erat ut ex omni olla[12] sextarium unum darent, quod centenaria multa efficiebat, et in omni regione cum multa tribulatione et egestate faciebant[13] et, cum ad eum accessissent[14], hoc quoque tolli

* p. 140.

[1] Sc. ad arbitrium, sine certa ratione. — [2] Sc. Montanistae; ms. MNṬYW. Sin. 'Manichaei', sed cf. p. 109, ubi a Manichaeis distinguuntur. — [3] ὀρθόδοξοι. — [4] ὑπατεία. — [5] Ita Brockelm.; sed in *Chr. Min.*, p. 232, l. 27, Mich. p. 437 b, l. 15 (vers. II, p. 455; vide not.) 'latrones' significare videtur. — [6] παλάτιον. — [7] Sic. — [8] δημόσια (vide p. 82, n. 7). — [9] αὐτοκράτωρ. — [10] πολιτικός. — [11] ἔμποροι. — [12] κέραμος. — [13] Sc. res gerebant (mercatores). Sed vox fortasse corrupta est. — [14] Litt. 'προσελθῆναι (vulgo pro προσελθεῖν) fecissent'; cf. p. 101, l. 22 et Mich., p. 250 b (2), l. 26 (textus).

atque aboleri iussit, et hoc quoque item abrogatum est. Et nunc initio suo haec fecit. Finis autem eius quo tendat postremo notum fiet. Indicium item christianismi quod ostendit, quod est quod, cum Iustinus monetae[1] cusionis daricorum imaginem quandam superposuisset, quae multis Veneri similis esse videbatur, is in vicem eius in moneta[1] sua crucem fieri iussit, quae ut narrabat, in visione paulo ante ei facta[2] erat.

CAPUT XV, de persecutione quae in haereses, itemque in orthodoxos[3] excitata est. — Eo igitur tempore persecutio in * p. 141. haereses mandata est * et excitata. Eo autem impetu velut torrente aliquo vehemente et conventicula etiam orthodoxorum[3] abrepta sunt, cum primum in Iohannem qui 'super paganos' vocabatur incidissent, qui episcopus Ephesi est, qui in urbe regia multos annos habitabat, et eum et omnes qui cum eo *erant* comprehendissent, et abiissent *et* eos in carcere quod vocatur cancelli inclusissent, post inclusiones multas et exsilia[4] alia quae saepe sustinuerat. Et diebus festorum Nativitatum (?)[5] inclusi erant et vexabantur, in domum impositi cuius a quattuor angulis aqua fluebat, et e qua desuper, cum pluvia de caelo desiisset, stillicidium ex omni loco duo dies non desinebat, quoniam fornix effossa erat. Itaque in ea ut in lacu commorabantur, cum semper starent et aquam egererent, et ipsi in lectulis ibi recumberent, quibus mortuos sepeliebant, pro eo quod loca non habebant ubi capita fulcirent. Et in tanta pressura[6] cottidie mane et vespere episcopi et metropolitae et ecclesiecdici in eos disputaturi mittebantur. Et, cum gratia quae eos comitabatur eos cedere non sineret, sed libertate[7] intrepida pro veritate fidei orthodoxae starent et contra eos certarent, exinde persecutores illi diphysitae cum vincerentur probris et minis contra eos utebantur, cum cottidie coetus syncellorum et oeconomorum et ceterorum clericorum itemque laicorum in eos convenirent tempus dierum duodeviginti, et * p. 142. *tempus* ⌜donativi consularis[8] quod iecit rex ei in carcere * degerunt, et ita ut, cum Iohannes voluntatem eorum ne verbo

[1] μονῆτα. — [2] Sic textus. Excidit fortasse verbum et legendum 'ostensa'. — [3] ὀρθόδοξοι. — [4] ἐξορίας. — [5] Sic textus. Fortasse Nativitas et Epiphania innuuntur. — [6] ἀνάγκη. — [7] παῤῥησία. — [8] ὑπατεία.

quidem tantum fecisset, de eo decreverint ut urbe exiret. Itaque eos carcere solverunt, cum ipsi gauderent et Deo gratias agerent quod propter nomen eius pati rursus meruerant; itemque asinum qui Iohanni erat in quo sedebat, quoniam pedibus
5 aegrotabat, Eutychius patriarcha misit et ei eripuit. Et multa alia facta sunt, quorum pauca historiarum memoriae tradidimus.

CAPUT XVI, de eversione conventiculi ecclesiae videlicet, quae in Marino [1] conveniebat. — Postquam igitur Iohannes episcopus
10 carcere solutus est et qui cum eo *erant,* die postero κοίνιον [2], turma videlicet, persecutorum, vel, quod fortasse haud alienum est dicere, latronum [3] caterva ad ecclesiam orthodoxorum [4] convenit quae in domo magna regia Marini die dominica congregata erat, et, tota ecclesia congregata, ingressi eis inciderunt,
15 et multos comprehenderunt. Et, cum paganorum instar ingressi essent, ex altari suspensi, id everterunt et confregerunt; et sacramentum ei impositum effuderunt; et oblationem disperserunt et dissipaverunt; et clericos et ceteros [2] laicos abripuerunt, postquam totam ecclesiam demoliti sunt et subruerunt et ima-
20 gines beatorum Severi et Theodosii detraxerunt, quas capitibus subversis ludibrii causa portantes publice [5] ibant; eosque ad omnes carceres ubi priores inclusi erant adductos incluserunt, cum ceteram populi multitudinem quam comprehenderant spoliarent et dimitterent. Et quodcunque in manus eorum incidit
25 rapuerunt et furati sunt * et abierunt; itemque post dies *aliquot* Eutychius misit eosque ad domum episcopii ascendere fecit, et cum eis multum disputavit; sed eos vadimoniis solvit. Tandem autem, cum rex misericors haec didicisset, eum increpavit et paulum in tempus destitit. * p. 143.

30 CAPUT XVII, de eodem patriarcha, et ceteris rebus. — De eodem autem Eutychio patriarcha, cum post Iohannis mortem vocatus et ingressus esset, de eo [2] diffamaverunt eum iustum esse et qui miracula faceret et visiones videret; quod ipse etiam de se garriebat et ferebat. Cum vero ingressus esset, nec de

[1] Potius 'Marina', sc. Marinae palatio. — [2] Sic. — [3] ληστής. — [4] ὀρθόδοξοι. — [5] In δημοσίῳ.

depositione[1] eius quae a Iohanne qui eum expulit facta est quaestio recte fuisset, ascendit *et* in throno[2] ecclesiae consedit, anathemate suo non inquisito nec dissoluto. Quapropter multi a communione eius se separaverunt et aversati sunt, ut a viro anathematizato cuius depositio[1] ab eo qui mortuus erat facta esset et a quo praeterea etiam illius, et tandem ingressus consedit, cum ordinationes[3] etiam illius et omnia quae ab eo facta erant sine perscrutatione et sine investigatione accepisset, ut ita sedem tantum occuparet.

Item autem offensio secunda quae toti ecclesiae contra eum postea facta est[4], cum paucos dies *patriarcha* fuisset et de quibusdam audivisset eos errore captos esse ob causam doctrinae Iohannis grammatici Alexandriae, ut in libro etiam priore de re indicavimus[5], qui contendebat et dicebat. « Haec hominum corpora in resurrectione non surgunt, sed alia in vicem eorum fiunt et surgunt », ipse conversus est et errore *eius* ictus, et personam[6] eorum qui resurrectionem ita calumniantur induit, et disputare ac contendere incepit, * « Hoc ita est, nec hoc corpus surgit, sed aliud fit et in vicem eius surgit ». Et, cum episcoporum eius quidam et clericorum et ceterorum cum eo de his *rebus* contenderent, tum is magis decertabat « Hoc ita est ». Quamobrem tractatum etiam de ea opinione composuit, quem in tomis[7] scribebat et ad mulieres primores mittebat ut legerent et eius discipulae fierent, et alia huiusmodi quae ut stultus loquebatur et faciebat, ita ut exinde multi eum ut virum fatuum qui mente captus esset haberent. Ut enim tandem in eo aperte patefactum est, daemon etiam ei superveniebat, eumque deiciebat, et perturbabat, adeo ut bis, cum iuxta altare in ecclesia magna staret, eum coram tota ecclesia convulserit, et confestim eum portantes sustulerint *et* amoverint, et semel rursus in ecclesia beatae Deiparae Chalcopratii, et rursus, ut dicebant, et in domo episcopii etiam saepe eum contunderet. Quamobrem qui ei parcere volebant dicebant « Ob ieiunationem et vigiliam multam chymus[8] in eo excitatur, et is est qui ascendit, *et* in capite[9]

* p. 144.

[1] καθαίρεσις, — [2] θρόνος. — [3] χειροτονίας. — [4] Sic nominativus sine verbo relinquitur. — [5] II, XXXVI. — [6] πρόσωπον. — [7] τόμος. — [8] χυμός. — [9] κρανίον.

eius concrescit, eumque vertigine adficit et deicit, nec daemonem habet ». Alii vero multi contra talia dicebant, « Chymus [1] igitur [2] eum convellit et perturbat, et spumat ac volutat? », et exinde omnia quae ab eo *facta sunt* omnibus ita videbantur ac
5 si mens eius a spiritu malo confunderetur et obscuraretur; quoniam verbis etiam ineptis utebatur, et risu qui habitui [3] eius alienus erat, et ceteris rebus huiusmodi. Librum vero etiam, in quo ab initio ad finem garrivit, pro confessione duarum post unionem naturarum fecit, ubi cunctos patres veros vitupera-
10 bat * qui non cum eo quaternitate vice Trinitatis sanctae blas- *p. 145.
phemabant. Et hunc ipsum librum ad domos mittebat, ut eius discipuli fierent [4], *ita* ut quicunque legebant eum irriderent et illuderent ut virum qui garrivisset et mente captus esset, dum per totam urbem dicunt, « Hic quem virtutes ac miracula effi-
15 cere dicebant mente alienatus est ».

Caput XVIII, de eodem Eutychio, et de superbia eius. — Eutychius igitur, cum ingressus sedem ecclesiae urbis regiae accepisset, et confirmatus esset et initio suo laudaretur, ut in narrationibus etiam anterioribus multa de eo indicavimus, et a
20 misericorde rege Tiberio etiam honorifice reciperetur, statim arrogantia et superbia et iactatione elatus est, adeo ut modum suum excederet, et supervacanea et insipida loqueretur. Quamobrem hinc omnes eum sermonibus agitare et irridere inceperunt ut virum qui mente deficeret. Fecit vero magnum pro
25 Diphysitis *scriptum* ut de eo etiam indicavimus [4], in quo etiam sapor eius insipidus omnibus magis cognitus est. Et hunc ipsum librum ad domos magnas mittere incepit, et mulieres senatorias [5] et viros, et praesertim Diphysitarum adversarios, flagitare ut eum legerent et ex eis quae in eo scripta erant sibi persuade-
30 rent ut duas naturas post unionem fidenter confiterentur, 'quoniam qui ita non confitetur haereticus eutychianista est'; et ita *fecit* cum omnes et ipsi *fautores* eius eum illuderent et librum eius ad eum mitterent.

* Caput XIX, quomodo Eutychius *articulo* 'qui pro nobis *p. 146.
35 crucifixus es' repugnaverit. — Cum igitur Eutychius fortis

[1] χυμός. — [2] ἄρα. — [3] σχῆμα. — [4] II. xxxv. — [5] συγκλητικός.

rursus efferretur, contra *articulum* 'qui pro nobis crucifixus es' zelum suum auxit et ostendit, et contra *omnem* quicunque 'qui pro nobis crucifixus es' dicere ausurus sit minas emittit ac contendit. Et, quoniam monasteria insignia[1] magna mulierum, quae persecutionis initio Antiochia expulsa erant, tum ex illo tempore in urbe regia in locis diversis habitant, tum quasi ob morem traditionis orientalis ita recitabant, 'Qui pro nobis crucifixus es miserere nostri', propter hoc ipse personaliter cum clero suo ad eas adiit et eis exponere easque docere incepit, nec non eis minatus est. Et, quoniam diebus Iustini victoris, cum in eas et in omnes persecutionem suscitasset, tum pars concesserunt tum pars se non submiserunt[2], omnes una congregatae, zelo virili induto, ei restiterunt, dicentes, « Sufficit nobis quod nos fidem nostram mutare et perdere coegistis, Deum autem qui pro nobis crucifixus et passus et mortuus est negare usque ad gladium et crucem et ignem numquam annuemus ». Quamobrem, cum omnes una in eum ferventer et fortiter exclamassent et turbas fecissent[3], quod cum clerici eius vidissent harum audaciam[4] et zeli fervorem quod haec ei in os dicebant, dicunt ei: « Surge abeamus, domine, tempus est liturgiae[5] ». Itaque surrexit, et inde abiit, cum nihil quod in eis voluit factum esset. Et tandem tomum[6] magnum conscripsit, in quo eas docebat eisque blandiebatur et minabatur, quem ad eas misit. Eae autem eum non acceperunt dicentes: « Nos mulieres sumus nec disputationem intellegimus. A traditione vero patrum orientalium usque ad mortem non discedemus ». * Quamobrem per totam etiam urbem et in palatio[7] et a rege de hoc certamine *fama* audita est, et omnes eum vituperaverunt. Itaque ab hac *re ardor* eius paulum restinctus est, et quievit.

* p. 147.

Caput XX, de ira et stomacho amaro et odio infinito quod Eutychio contra totam partem orthodoxorum[8] fuit. — Anno autem 4° introitus Eutychii, ut ab initio, orthodoxis[8] stomacho acerbo adversatus est, dum mittit et comprehendit et rapit et includit,

[1] Aut 'quaedam'. — [2] II, XLVII. — [3] Clausula sine verbo principali relinquitur. — [4] Ita obiectum iteratur. — [5] λειτουργία. — [6] τόμος. — [7] παλάτιον.— [8] ὀρθόδοξοι.

et altaria ubique evertit, et imagines quae inveniuntur detrahit, et quodcunque invenitur rapitur et subducitur, sive supellex sive vestes sive vela, sive libri, sive pecunia, sive vasa, et, ut summatim dicam, quodcunque invenitur ubicunque ibant latro-
5 cinio aperto. Itaque sacerdotes quosdam et principes sacerdotum rapiebant et in carceribus pressura[1] acerba includebant quantumcunque tempus volebant, et ibi rursus spoliabantur. Et qui nihil habebant mutuum accipiebant et dabant; et ita saltem solvebantur, et exibant, cum nihil omnino de rapina
10 eorum priore reciperent. Et, si etiam quod darent non habebant, in exsilium[2] pellebantur, et rursus in monasteriis pressura[1] multa includebantur. Eutychius vero eximius ad misericordem Tiberium ingrediebatur, et totam partem fidelium male accusabat, sine frenis timoris Dei. Et, cum omnes haereses Ariano-
15 rum et Macedonianorum et propriorum eius Sambatianorum, et Manichaeorum et Marcionistarum et Montanorum[3] omnes[4] in pace sederent, cum nemo esset qui eos vexaret, soli fideles *veri persecutionem patiebantur et compilabantur, et in exsi- *p. 148.
lia[5] diversa ad urbes longinquas et ad insulas intra mare diver-
20 sas mittebantur, omnibus tribulationibus vinculorum durorum et custodiarum angustarum, et fami et siti et omnibus tentationibus traditi, *ita* ut, nisi gratia divina eos visitasset et confirmasset, non vixisset ex eis omnis caro[6] ut de tribulatione quae in fine futura est scriptum est.

25 CAPUT XXI, quod cum rex victor, qui naturaliter ingenuitate et humilitate utebatur, necnon qui bellorum sollicitudine occupatus erat, se persecutionibus multis secundum voluntatem et aviditatem persecutorum non dedisset[7]. — Cum igitur rex victor bellorum molestia teneretur, quae ex omni parte eum cir-
30 cumstabant, Eutychius episcopus cottidie ingrediebatur, cumque in διακρινιμένους incitabat, cum ei diceret, « Noli me his *rebus* molestare. Sufficit mihi tentatio bellorum quibus teneor. Quod ad ecclesiam attinet i fac quod vis periculo[8] tuo. Tu scis. Ego a peccato innocens sum ». Quapropter sine timore Dei et

[1] ἀνάγκη. — [2] ἐξορία. — [3] Sc. Montanistarum; ms. MNTYW; cf. p. 103, n. 2. — [4] Sic iteratum. — [5] ἐξορίας. — [6] MATTH., XXIV, 22. — [7] Clausula sine verbo principali relinquitur. — [8] κίνδυνος.

regis persecutio, quae ob rapinam, non ob fidei rationem *facta est,* dilatata et extenta est. Quamobrem exinde, ut *homines* in omni regione et in omnibus tractibus sui instar persequi faceret, ad omnes tractus et ad omnem regionem et ad omnes urbes magnas scribere non cessavit, ut eius instar persecutionem malam in omnes διακρινομένους qui ubique erant etiam suscitarent. Quod[1] hi etiam, cum propter bonorum spoliationem et rapinam et latrocinium apertum fidei causa *factum* incitati essent, cum ceteris suis in omni regione et in omnibus tractibus persecutionem commoverunt, cum * rex victor propter bellorum tentationes quae ei circumstabant neglegeret nec quaestionis et cognitionis ante se faciendae copiam daret.

* p. 149.

Caput XXII, de mansuetudine regis Tiberii. — Hoc igitur omnibus qui postea harum narrationum capita legent notum sit nos, in veritate exacta manentes, ita scribere, et, quamquam eximio Eutychio patriarchae adversarii esse videmur, a veritate etiam in eis quae diximus ne centesima quidem ex parte descivisse, nec quod conviciari et illudere studeamus haec litteris tradidisse; nec quae de sereno rege etiam *dicimus* adsentatorie dicere vel exarare, sed quod in omnibus *rebus* veritati advocati[2] esse optemus, et pro eo quod, cum rex Tiberius adulescens esset, cui adhuc barbae crines non germinaverant, ego et is assidue una essemus, et cum ceteris ante Iustinum cuius anima requiescit staremus, et mores et conversationem eius dehinc assidue sciam, qui nunc etiam quando in regni fastigio stare meruit, quomodo nunc omnibus sine contentione notae[3] sunt, in eodem ingenuitatis et humilitatis modo sine declinatione manet, non ut puer adulescens quod regni potestatem tenet elatus, et mandavit ne quis occideretur vel spoliaretur ut antecessor eius fecit et sese et animam suam et manus suas sanguine innocente polluit, sed in praesens ingenue et humiliter se gerit, usque ad annum 3um regni sui extra quattuor quibus Caesar fuit, et in praesens usque nunc ita ambulat, quamquam * multi in eum murmurant, quod placidus et humilis est, nec timore utitur, et ipse iam in praesens leniter se gerit.

* p. 150.

[1] Sine constructione relictum. — [2] συνήγορος. — [3] Sc. ingenuitas et humilitas.

CAPUT XXIII, de aedificio quod rex Tiberius in palatio [1] aedificavit. — Rex Tiberius, qui etiam Constantinus appellatus est, vivente Iustino cum in palatio [1] magno Authentico habitarent, cum ipse Caesar esset, in uno latere palatii anguste
5 habitabat. Quamobrem, etiam cum Iustinus mortuus esset, Sophia uxor eius in eo palatio [1] Authentico mansit, nec eam eicere potuit, quemadmodum nec ea eum ingredi et in eo habitare sivit. Et, postquam imperator [2] factus est, coartabatur, et praesertim postquam uxor eius cum duabus filiis eius ad eum ingressa
10 est, et, quoniam reginam Sophiam compellere vel cogere noluit, ut ingressus in sede regni magna habitaret, totum latus septentrionale palatii [1] subvertere coactus est et sibi palatium [1] aedificare. Quamobrem aedificia etiam magna et multa diruit et amplissime restauravit, horto etiam pulcro, qui in medio pala-
15 tio [1] erat, qui in regum delectationem erat, deleto, et aedificiis amplissimis in eo conditis, cum quoquoversus diruisset et dilatasset et magnifice aedificasset, quando balneum [3] etiam amplissimum denuo aedificavit, et stabulum [4] equorum amplissime supra in eo palatio [1] aedificavit, cum ceteris *rebus* multis.

20 CAPUT XXIV, de pharo [5] Iustini quam Tiberius rex diruit. — Ex quo igitur rex Iustinus persecutione et perturbatione ecclesiae occupatus est, necnon rapina * et spoliatione, et castigatio illa terribilis in eum missa est, signa etiam alia irae caelestis in eo visa sunt. Cum enim domum suam priorem quae
25 in [6] latere occidentali et septentrionali urbis in Astydeutero (?) [7] est *ut* palatium [1] aedificare quaesivisset, et ipse domos multas diruisset, et aedificasset et hippodromon fecisset, et aedificasset [8] et ampliasset, et paradisos [9] diversos omnium generum [10] plantationum et ceterarum *rerum* plantasset, deinde
30 mandavit et ei et uxori eius stelas [11], statuas videlicet magnas aeneas, posuerunt. Et, cum positae et constitutae essent, post paulum tempus fuit ventus vehemens qui eos evertit, et inventae sunt capite inverso terrae infixae; et a multis signum [12] irae et ruinae eis putatum est. Postea rursus mandavit et pharum [5],

* p. 151.

[1] παλάτιον. — [2] αὐτοκράτωρ. — [3] βαλανεῖον. — [4] στάβλιον (sic). — [5] φάρος. — [6] Ms. om. — [7] τὸ παλάτιον τὸ δεύτερον (THEOPH., A. M. 6062). — [8] Sic. — [9] παράδεισος. — [10] γένος. — [11] στήλας. — [12] σημεῖον.

columnam videlicet ingentem, in Zeuxippo in litore maris in parte urbis orientali sibi erigere incepit, et mandavit, et scalae intra eam factae sunt, ut cum oneribus lapidum caesorum ingentium laminis ferreis ligatorum et plumbo fortiter tinctorum homines late et spatiose ad eam ascenderent, cum ad altitudinem magnam finem eius versus aedificatae essent et ascendissent. Quamobrem dum aedificatur civium nonnulli chartam [1] scripserunt, quam in tabula ei adfixerunt in qua ita scriptum erat: « Aedifica columnam tuam, aedifica, eamque effer quantumcunque potes, et ascende, et in summo eius sta [2]; et considera et specta et vide orientem et occidentem et septentriones et meridiem tuis diebus iam vastatos ac consumptos esse ». Mortuus est autem cum eam non perfecisset. Dicebatur vero inter Tiberium et Sophiam contentio fuisse, cum ea ei diceret, « Perfice eam », et is dixisset, « Ego eam non perficiam. Tuum est eam perficere ». Ea cum reputaret eum eam certe [3] sibi facturum et ipsum * super eam staturum dixit: «Si eam ei qui fecit facere non vis, tibi fac ». Qui iratus iuravit, « Ego nec super eam nec super aliam stabo ». Cum vero vidisset onera magna lapidum magnorum quae in ea erant ad aedificium cuius fundamenta in palatio [4] iecerat apta esse, mandavit et usque ad imum diruta est; et omnes lapides eius ad palatium [4] portavit, et ad ecclesiam quadraginta martyrum quam aedificavit usque ad tempus multum. Dicebantur vero multa centenaria auri in eam expensa esse.

* p. 152.

Caput XXV, quod tentationes bellorum multorum regem Tiberium ex quo Caesar factus est circumsteterunt. — Ex quo igitur misericors Tiberius vivente rege Iustino *ut* Caesar sedisset, pro eo quod ipse etiam Iustinus in tentationem morborum diversorum inciderat, Caesar bellis quae ex omni parte *erant* incubuit, cum primum ad certamen [5] contra Persas *susceptum* cum ceteris omnibus populis barbaris qui in regnum potens Romanorum surrexerunt ex omni parte se applicaret, quemadmodum rursus post mortem Iustini eum magis adorti sunt, et

[1] χάρτης. — [2] Sc. 'statuam tuam pone'; vide infra. — [3] πάντως. — [4] παλάτιον. — [5] ἀγών.

praesertim populi maledicti Sclavenorum et crinitorum[1] qui vocantur Avares, praesertim vero postquam imperator[2] factus est, cum ei ne breve quidem tempus a famis et rumoribus qui in eum ex omni loco increverunt laxamentum darent. Quam-
5 obrem multi primores et tenuium *nonnulli* de eo angebantur, dicentes, « In tentationibus duris et diebus malis regnum ad hunc venit, qui die noctuque in certamen[3] et curam incidit, ut exercitus ex omni loco colligat, quos in omnem partem ad multa bella mittat ».

10 * CAPUT XXVI, de romanis et Gothis qui ariani erant et ut ecclesia una eis daretur rogaverunt. — Cum vero rex Tiberius populos barbaros ab occidente congregare et adducere coactus esset, ex eis qui doctrinam Arii impii sequebantur, quos contra Persas mitteret, cum uxores et liberi eorum in urbe regia man-
15 sissent, deinde a rege Tiberio rogaverunt ut in ipsa urbe unam ecclesiam separaret eisque daret, in qua uxores et liberi eorum et qui ex eis in urbe manebant convenirent. Quamobrem rex, id agens ut eis satisfaceret, ut ipsi etiam totis viribus pro republica[5] Romanorum eniterentur et cum hostibus dimicarent, di-
20 xit eis: « Videbimus, et patriarchae loquemur ». Quamobrem ob hoc promissum et hoc responsum[6] quod ambigue eis dedit, nec per eos rem prompte diremit, omnes putaverunt et locuti sunt regem arianum esse et eorum qui ecclesiam ab eo rogaverunt opinioni favere, et opinionem suam celare. Quamobrem
25 cum ecclesiam secundum morem adiisset multi clamaverunt, dicentes, « Evertantur ossa Arianorum » (ἀνασκαφῇ τὰ ὀστέα τῶν Ἀρειανῶν)[7]. Quamobrem his verbis auditis eos contra eum clamare cognovit, et valde conturbatus est; et, cum ad palatium[8] rediisset, misit *et* multos eorum qui clamaverant adpre-
30 hendit, dicens eis: « Quid in me vidistis ⌈quod ‘ Arianum ’[9] contra me clamavistis et mihi in ecclesia contumeliam imposuistis? ». Quamobrem ei veriti excusationem ei fecerunt.

Is autem, cum semet hac suspicione liberare quaereret, Arianos persecutionem pati iussit. Quamobrem hi * ecclesiae latro-

* p. 153.
* p. 154.

[1] Litt. ‘populi crinium suorum’. — [2] αὐτοκράτωρ. — [3] ἀγών. — [4] Sc. militibus. — [5] πολιτεία. — [6] ἀπόκρισις. — [7] Ita graece in textu scr. est. — [8] παλάτιον. — [9] Legendum fortasse ‘Ariani quod’. Cf. p. 102

LES, occasione per mandatum sumpta, ut lupi cucurrerunt, nec in eos solos quos *persequi* iussi erant, sed in eos etiam quos non iussi erant, Montanos[1] videlicet et Macedonianos et Sambatianos et ceteros[2], cum orthodoxi[3] etiam cum eis mixti essent, cum in omnes pariter inciderent eosque aperte spoliarent, donec haec ad regis aures acciderunt eosque increpavit, et eis graviter minatus est.

CAPUT XXVII, de eis quae a paganis audacter perpetrata sunt, et de eis quae iuste in eos commota sunt. — Anno 2° regis Tiberii postquam imperator[4] factus est pagani impii *urbis* Be'elbakh quae et Heliopolis qui ab initio aperte Satanae cultores sunt, et in Christianos, qui in ea inter eos pauci et egeni sunt, dum illi omnes divitiis et dignitate semper summe delectantur, quando copiam inveniunt, dolo utuntur ut memoriam eorum de medio suo perdant et aboleant, audacter se gesserunt eo quod ipsum Christum itemque fideles eius illuserunt, et malis etiam aliis multis Christianos adfligere ausi sunt. Quamobrem, cum haec regi nota essent, viro mandavit qui ad Orientem propter defectionem et insurrectionem[5] quam Iudaei et Samaritani in Palaestina fecerant a Iustino paulo ante missus erat, qui etiam descenderat eosque subiugaverat, et partem trucidaverat et partem crucifixerat et pessum dederat eosque duriter subegerat (huic nomen fuit Theophilus). Ei igitur rex mandavit et, a Palaestina Heliopolim contra paganos profectus, *p. 155. * multos eorum adprehendit, et secundum audaciam eorum ab eis ipsis etiam poenam exegit, et humiliavit et crucifixit, et occidit. Quamobrem, cum eos cruciaret et ut de ceteris paganis erroris sui participibus confiterentur flagitaret, de multis sibi similibus ei confessi sunt, qui in omnibus regionibus et urbibus ⌈nominibus suis[6] erant, in plerisque urbibus Orientis, et praesertim in Antiochia magna. Et, dum ad rectores[7] scribit et nuntium mittit ut personae[8] nominibus suis adprehensae ad eum mittantur, cum Rufinum quendam summum sacerdotem qui

[1] Sc. Montanistas; ms. MNTYW (cf. p. 103, n. 2). — [2] In cap. XIII, ubi haec iam narrata erant, contrarium dicitur. — [3] ὀρθόδοξοι. — [4] αὐτοκράτωρ. — [5] ἀνταρσία. — [6] Sic. Cum 'confessi' melius construeretur, sed ordo vetat. — [7] ἄρχοντας. — [8] πρόσωπα.

Antiochae *erat* nominassent, ad quem adprehendendum Theophilus virum etiam de suis misit, tum eum ibi non esse, sed Edessam ad Anatolium rectorem [1] et ἀντιύπαρχον [2], praesidis [3] videlicet vices tenentem, abiisse didicit. Et, cum qui iverat rectorem [1] et episcopum ut responsum [4] quam adferret ei darent flagitaret, quosdam de suis eum ecclesiecdico ei dederunt, cumque Edessam miserunt, ut, si eum inventurus esset, eum illinc adprehenderet.

Caput XXVIII, de eis quae Edessae de paganis perpetrata sunt. — Cum igitur qui missi sunt Edessam pervenissent, Rufinum ibi esse didicerunt, et noctu profecti domum eum adprehensuri circumsteterunt. Accidit autem ut paganis ibi festum Iovis esset, eique apud Rufinum convenissent sacrificia oblaturi. Qui cum eos domum ut eos adprehenderent cingere percepissent, perturbati omnes fugerunt. Rufinus vero, cum sibi refugium non esse cognovisset, novacula destricta se in corde percussit, et ventrem etiam laceravit et concidit, et mortuus est. Senem autem unum podagrum [5], qui fugere non potuit, et anum unam ingressi ibi invenerunt, * et Rufinum confossum et iacentem et mortuum, et omnia sacrificiorum instrumenta. Et quos invenerunt adprehensis mortem minati sunt, nisi veritatem dicturi essent quis et quis essent qui ibi convenerant, et, si veritatem dicturi essent, eos victuros nec morituros. Ei autem prae terrore cunctos indicaverunt, inter eos rectorem [1] et ⌜praesidis vicarium [6] Anatolium. Is vero dolos struere cogitavit qui eum non adiuverunt; et abiit et birro [7] se vestivit quasi a foris ex itinere ingressus esset, et tibialia [8] pellicea cruribus induit, et calceos viatorios, et urbis episcopum adiit. Qui cum rectorem [1] venisse audivisset, perturbatus dixit: « Quae *causa* est cur rector [1] nunc hora insolita venerit? ». Qui ingressus ei dixit: « Nunc a foris ex itinere ingressus sum, quod, cum in vico quodam pernoctarem, contentio inter nos de loco quodam scripturae fuit quid vis eius sit; et ob hoc ad te antequam praetorium meum adeam veni ut eum mihi interpreteris ».

* p. 156.

[1] ἄρχων. — [2] Melius ἀνθύπαρχος, — [3] ὕπαρχος, quod ap. syros saepe pro ἔπαρχος stat, cf. p. 121, n. 7. — [4] ἀπόκρισις. — [5] ποδαγρός. — [6] ἀντιύπαρχον. Vide n. 2. — [7] βιῤῥωνίκιον. — [8] τούβια.

Et hoc quidem dolo fecit ut episcopus ei testaretur eum statim ex itinere ad eum venisse, ut, etsi de eo dicerent eum cum eis qui sacrificia fecerunt noctu fuisse, huic *rei* ratione ut excogitaverat mederetur. Sed ut scriptum est, « Dominus scientiae *dominus* est, nec doli ante eum stabiliuntur »[1], ita huic doli eius non steterunt. Statim enim ut ab episcopi domo descendit, qui missi erant ei obviam venerunt eumque adprehenderunt, et dicunt ei : « Salvus veni, domine praeses[2]. Nobis magnitudine tua multum opus erat. Sponsores[3], quaesumus, da pro centenario[4] te intra decem dies Antiochiae adfuturum ». Is autem verba facere incepit et dicere, « Ego modo ex itinere ingressus sum, * et episcopus en ! mihi testabitur ». Cui ei dixerunt, « Noli *fraudem* excogitare, domine rector[5]. Hac nocte superiore cum Rufino et ceteris qui vobiscum *erant* sacrificium Iovi perfecistis[6], et en ! accusatores tui praesto sunt ». Et, cum auctoritatis ratione minaretur et diceret, « Res publicas[7] impeditis », dicunt ei : « Noli minitari, domine rector[5], per vitam magnitudinis tuae hinc non discedes et sponsores dabis ». Quamobrem, cum coactus esset et effugium non esse cognovisset, promisit et sponsores dedit se Antiochiam cum eis et cum ceteris statim adscensurum.

* p. 157.

Caput XXIX, de seditione[8] et de eis quae in Antiochia magna post haec perpetrata sunt. — Cum igitur Antiochiam pervenissent et acta[9] quae Edessae facta sunt de eis quae ibi inventa sunt lecta essent et ipse et notarius eius comprehensi, tum interrogati sunt, et mendacium praetenderunt. Tandem vero, cum notarius eius, cui nomen fuit Theodorus, cruciatibus et tormentis duris subiectus esset, tum depositionem[10] fecit in qua omnia exposuit, et, ut dictum est, Gregorium etiam, urbis patriarcham, necnon Eulogium illum qui illinc *erat* qui tandem Alexandriae *episcopus* factus est depositionem[10] fecit cum eis puerum noctu Daphnae sacrificasse, quem cum sacrificassent, statim totam urbem subito agitatam et quassatam esse. Quamobrem, cum haec in urbe audita essent, tota urbs agitata ac

[1] I *Reg.*, II, 3. — [2] ὕπαρχος. — [3] Aut ‘vadimonia’. Ita infra. — [4] Ms. ‘centenariis’. — [5] ἄρχων. — [6] Sic. — [7] δημόσιον (genit.). — [8] στάσις. — [9] πεπραγμένα. — [10] κατάθεσις.

perturbata est, et voces[1] variae factae sunt, et ecclesia clausa est, nec Gregorius de domo episcopii descendere ausus est, nec ut liturgia[2] in ecclesia fieret permissum est, vel secundum morem myri[3] sanctificatio 5a feria mysterii[4], dum voces diversae
5 clamantur, quas nos litteris tradere * vel de omnibus his * p. 158.
rebus testari[5] supersedemus. Ut vero ab omnibus hominibus dicitur, acta[6] de his *rebus* ad regem venerunt, et haec in omnibus tractibus narrabantur; et tandem putatum est propter honorem christianismi et ne sacerdotium probris adficeretur et
10 blasphemaretur haec compressa esse.

Anatolius vero, cum Domini nostri imago ab eo in domo eius posita esset, cum decipere quaereret, « En ! opinio mea christiana est »[5] et cum multos secum adduxisset et eis ostensurus ivisset, et cum eis ostenderet, deinde imago illa conversa est et
15 pars posterior eius extra facta est, et pars interior contra parietem, *ita* ut tremor in omnes qui viderunt inciderit. *Quod* cum Anatolius vidisset, eam convertit et recte collocavit; et ea rursus subito conversa est et pars posterior eius extra facta est, et ita usque ad tres vices. Quamobrem, eam scrutati, intra
20 eam a tergo Apollinis imaginem arte factam invenerunt quod non cognoscebatur vel videbatur. Itaque rectoris[7] taxeotae eum in terram deiectum calcaverunt et crinibus ad praetorium traxerunt, haec omnia indicantes. Quamobrem, ut dicitur, ipse etiam *de* omnibus *rebus* depositionem[8] fecit. Theodorus vero
25 notarius eius, postquam episcopos et ceteros patefecit, cum in carcere[9] custodiretur, mortuus est. Et a multis putatum et dictum est eum revera occisum esse, ut depositio[10] eius cessaret; de qua *re* etiam non testamur. Et multa alia ibi perpetrata sunt, quae narrationes et litterarum terminum excedunt.

30 CAPUT XXX, de eis quae in urbe regia in ratione paganorum perpetrata ac gesta sunt. — Cum igitur fama eorum quae Antiochia *facta* sunt actis[6] coniuncta ad urbem regiam pervenisset, tota urbs * et ipse rex misericors agitati ac perturba- * p. 159.

[1] φωνάς. — [2] λειτουργία. — [3] μύρον. — [4] Vide p. 78, n. 1. — [5] Sic. — [6] πεπραγμένα. — [7] ἄρχων. — [8] κατάθεσις. Requiritur potius καταθεῖναι. — [9] φυλακή; ms. pl. — [10] κατάθεσις.

ti sunt, et cum toto senatu[1] doluerunt; et in omnibus partibus urbis transmarinis homines de his *rebus* loquebantur.

Deinde pagani missi sunt et advenerunt, et mandavit et principum[2] et scholasticorum nonnulli consederunt eos iudicaturi et de rei veritate inquisituri; quos admonuit et adiuravit ut sine favore vel hominum studio iudicarent. Qui in domo magna regia quae vocatur Placidii[3] multos dies sedebant et de re inquirebant, cum omnia quae ab eis *facta sunt* secreto fierent ⌈nec quidquam[4] etiam eorum divulgarentur[5]. Cavebant vero ne cuiquam nota fierent, et nihil extrinsecus gestum est; et omnes putaverunt pretium operari et veritatem celare. Et, cum multos paganismo adligatos esse cognitum esset, populus urbis putavit eos quem voluissent dimisisse, eos qui aurum dedissent, et quem voluissent iniuste damnasse, et rationem quaestionis paganorum neglectam et corruptam esse, et praesertim pro eo quod ipse rex *rem* neglexit, et foras ad processum[6] exiit, nec res coram omnibus inquisita et divulgata est.

Caput XXXI, de seditione[7] quae in urbe a populo Christianorum propter quaestionem paganorum zeli causa facta est. — Cum vero murmur multum in urbe factum esset, pro eo quod rem per aurum celatam esse et praeteriisse putaverunt, et iam plane finitam esse, et paganorum rem clausam esse et ipsos etiam solutos, deinde subito nonnulli cucurrerunt et ad Mesam[8] urbis convenerunt, et clamare inceperunt: « Evertantur ossa δικαστῶν. Evertantur ossa paganorum. * Crescat fides Christianorum. Evertantur ossa δικαστῶν », iudicum videlicet qui eos iudicabant, pro eo quod putaverunt eos pretium accepisse et rem corrupisse. Qui cum has voces clamarent et per mediam urbem currerent, *homines* cucurrerunt et ex omnibus urbis regionibus se eis adiunxerunt, et coetus magnus facti sunt qui zelo christianismi inflammati sunt, plures quam[9] centum milia, et, universa urbe perturbata, tabernae clausae sunt, et argentariae[10] omnes. Quamobrem Iudaei etiam et Samaritani et ceteri haeretici ex omni parte concurrerunt seque

* p. 160.

[1] σύγκλητος. — [2] ἄρχοντας. — [3] Requiritur 'Placidiae'. — [4] Ms. 'et'. — [5] Sic. — [6] πρόκενσον. Hic 'domum suburbanam' significare videtur. Vide p. 120. — [7] στάσις. — [8] Viam principalem. — [9] Ms. om. — [10] ἀργυροπρατεῖα.

multitudini [1] immiscuerunt, urbem incendere et bona aliorum furari parati. Totus autem populus Christianorum ad ecclesiam in episcopum impetu magno cucurrerunt, probris foedis et diversis et multis ei exprobrantes, quae commentariis tradi
5 alienum est, cum de eo putarent ipsum paganis studere, et ob causam *episcopi* Antiochiae et *episcopi* Alexandriae, de quibus mala in ratione paganorum dicta erant, eum etiam ingressum obsecrasse ut res celaretur et praeteriret, et ob hanc causam mortem etiam ei minabantur. Quamobrem, domo episcopii ex
10 omni parte clausa, multitudo [1] eam incendere se paraverunt, nisi propter ecclesiam se continuissent, cum Iudaei et haeretici ecclesiam etiam incendere minarentur, ut tandem ante praefectum [2] confessi sunt. Ecclesiecdicorum autem uni qui contra eos exiit deiecto tempus acerbum dederunt. Itaque omnes ad Pla-
15 cidium [3] cucurrerunt qua pagani iudicabantur, iudicibus exprobantes qui erant patricii * et principes [4], et ceteri [5] scribae [6] * p. 161.
et scholastici, dum eos etiam interficere minantur. Et, cum ad Placidium [3] pervenissent, ianuis ac fenestris dirutis, scamna [7] et armaria effregerunt, et, atrium ingressi, propter paganos
20 perlustrabant. Et, armario quodam effracto, cum id centenariis plenum esse invenissent, ipsi [8] eis visis retro versi sunt, et custos eorum, impetum eorum sedare quaerens, eos ea statim rapturos opinatus, dixit eis: « Domine, nolite tumultuari. Si aurum quaeritis, ecce ! aurum ». Ei autem quasi ex uno ore
25 coetus magnus clamaverunt, dicentes. « Nos latrones [9] non sumus sed christiani sumus, et propter Christum congregati sumus, et propter paganos Christianismi ultionem facere quaerimus. Tu vero aurum tuum cura, quod nos id non attrectabimus ». Ei autem omnia quae eis obviam venerunt confregerunt, ita ut
30 effigies cuiuscunque quas invenerunt detractas confregerint. Itaque paganorum duo, unum virum et unam mulierem, inclusos invenerunt, quibus correptis, cum ad litus maris cucurrissent carabum [10] comprehenderunt, et, quaestionario [11] qui urbi deserviebat comprehenso, dicunt ei: « Ignem subice, et combu-
35 re eos ». Quamobrem, cum is a praefecto [2] metuisset, ipsi, eis in

[1] ὄχλος. — [2] ὕπαρχος. — [3] Sc. domum Placidiae, cf. p. 118, n. 3. — [4] ἄρχοντες. — [5] Sic. — [6] ἀντιγραφεῖς. — [7] σκάμνια. — [8] Ms. 'quod' (sic). [9] ληστής. — [10] καράβιον. — [11] κυαιστιωνάριος.

carabum iniectis, ignem ei subiecerunt, et ipsum quaestionarium etiam cum eis iniecerunt. Qui de igni exsilire potuit, et in mare incidit, et, quamquam ustus erat, non mortuus est; illi autem combusti sunt et in mari mersi. Coetus vero innumeri qui post haec convenerunt cucurrerunt et omnes carceres[1] effregerunt, et, ianuis effractis, inclusos omnes dimiserunt, clamantes, « Pagani solvuntur, Christiani quare includuntur? » Ita etiam ad praetoris praetorium cucurrerunt, et, ianuis et armariis * et cunctis scriniis[2] chartarum[3] effractis, omnes extulerunt et scisserunt et abiecerunt, et inclusos omnes dimiserunt. Inde etiam ad praetorium praefecti[4] cucurrerunt, qui, cum audivisset, foras ad eos exiit, tumultuantes et clamantes, « Evertantur ossa paganorum ». Qui, quamquam paganus esse dicebatur, ipse etiam cum eis clamare incepit, « Evertantur ossa paganorum, et crescat fides Christianorum. Pulcer *est* zelus vester. En ! enim ego ipse etiam vobiscum clamo. Novistis enim me paganos non iudicasse; neque enim mihi confisum est, nec etiam in praetorio meo iudicati sunt; quare nolite tumultuari ». Itaque his verbis impetum eorum cohibere potuit, ne, ut *facere* parati erant, manum ei inicerent, et praetorium eius incenderent. Post haec porro ad *id* se converterunt ut ei clamarent: « Veni statim nobiscum ad processum[5] exi ». Et is timore dixit, « Exibo ». Itaque dromonem[6] suum sine apparatu suo itemque habitu[7] suo haud vestitus conscendere coactus est, id agens ut ex impetu omnis illius multitudinis[8] infinitae evaderet. Itaque ad regem confestim exiit. Et, cum eum de his *rebus* certiorem fecisset, et ‘ Iam plures quam viginti milia eorum huc exire statuerunt’, qui[9] eo loquente advenerunt, voces diversas clamantes, et praeter haec vituperabant et dicebant, « Quare ratio quaestionis paganorum corrupta et celata est? quare auri pretium intervenit et veritatem celavit? », et praeter haec, cum de paganis clamarent, ad *id* se converterunt ut clamarent et Arianis quoque alio consilio exprobrarentur. Quamobrem totum palatium[10] agitatum est, et ea dicta sunt quae litteris tradi non decet. Deinde rex mandata[11] eis misit,

* p. 162.

[1] φυλακάς. — [2] σκρίνια. — [3] χάρτης; ms. ‘Christianorum’. — [4] ὕπαρχος. — [5] πρόκενσον (Vide p. 118, n. 6). — [6] δρόμων. — [7] σχῆμα. — [8] ὄχλος. — [9] Ita clausulae constructio mutatur. — [10] παλάτιον. — [11] μανδᾶτα.

« Nolite tumultuari, sed abite *et* * urbem intrate, et nos statim ingrediemur, et voluntatem vestram faciemus, nec rem quoquam modo negligemus ». Itaque multitudo [1] placata est, et impetus immanitatis eorum sedatus, et ad urbem redierunt, et 5 seditio [2] quievit, dum regis adventum et exsecutionem manent. * p. 163.

Caput XXXII, de regis ingressu, et de ceteris *rebus* quae postea gestae sunt. — Cum igitur rex mandasset et exercitus haud parvus armatorum convenissent [3], ut, si rursus tumultum facturi essent, caedem in eos mandaret, postea, urbem ingres-10 sus, circenses [5] fieri iussit. Qui, cum populus convenisset, et ascendissent et voces confusas ei clamare incepissent, nuntium eis misit, « Quietem et pacem agite, scientes omnibus secundum facta eorum redditum iri ». Itaque a tumultu et turba destiterunt. Statim vero ut ingressus est, ante has *res* Sebastianum 15 praefectum [6] amovit, et alium fecit qui praeses [7] Insularum [8] (?) erat cui nomen Iulianus. Cui mandavit ut eos comprehendere inciperet eisque tormenta adhiberet, et de ceteris investigare qui essent. Qui cum statim comprehendere et interrogare incepisset, multos eorum Iudaeos esse invenit, et nonnullos Samari-20 tanos et Montanos [9] et ceteros esse, et praefectus [6] ut sapiens ne bellum a zelo Christianorum *ortum* in se excitaret, hos comprehendere incepit, dum verberibus eos rogat: « Quamquam Christiani christianismi confirmandi causa zelo agitati sunt, vos Iudaei homicidae et haeretici deceptores quo zelo seditio-25 nem [2] fecistis vosque eis immiscuistis? ». Deinde confessi sunt omnes, « Nos, cum multitudinem [10] magnam vidissemus, inter eos ingressi sumus ut aliquid nobis obveniret, et raperemus ». *et hoc etiam confessi sunt, « Ecclesias Christianorum incendere parati eramus, fore opinati ut ei comprehenderentur et eis tor-30 menta adhiberentur, nobis non agnitis », cum aliis malis quae sub verberibus confessi sunt; quorum partem ad mortem crucis damnavit, et partem ut *in patibula* exaltarentur, et partem in exsilia [11] diversa relegavit. Quamobrem contra hoc nemo Christianorum vituperare potuit vel quidquam dicere nisi his * p. 164.

[1] ὄχλος. — [2] στάσις. — [3] Sic. — [4] ἀστασία. — [5] ἱππικός. — [6] ὕπαρχος. — [7] ὕπαρχος (ita saepe ap. Syros pro ἔπαρχος: cf. p. 115). — [8] νῆσος (Ms. NSYWS). — [9] Sc. Montanistas (cf. p. 109). — [10] ὄχλος. — [11] ἐξορίας.

iuste reddi. Et deinde Christianos comprehendere incepit, eos misericordia tractans, et eos ut in terrorem per urbem circumducebant: et, ne lumbi eorum viderentur plagis carentes, pusulas [1] eis faciebant, et [2] lumbos eorum minio lini iussit, ut lumbi plagis lacerati esse existimarentur, et praesertim puerorum parvorum, quorum multi inter eos inveniebantur, Quamobrem multi ridentes mulis [3] vehebantur, et per urbem circumducebantur. 5

Unus vero eorum comprehensus est, et ingressus ante praefectum [4] stetit. Dicit ei: « Quid est quaestus tuus et quis es? ». Dicit ei: « Christianus sum apothecarius [5] ». Dicit ei: « Cum apothecarius [5] sis quare in seditione [6] adfuisti nec in apotheca [7] tua consedisti et quievisti? Quocirca te vapulare iubemus ». Qui, cum eum ut vapularet corripuissent, dixit: « Per regis caput et vitam, si pro Christo vapulo, nolite verbera tantum et lacerationes mihi infligere, sed et post haec calvariam meam adimite, per caput Tiberii regis ». Quod cum praefectus [4] audivisset, agitatus est, dicens: « Hic per me martyr fieri quaerit. * Ego enim quis sum? Traianus sum; dimittite eum ut exeat ». Itaque eum missum fecit ne *uno quidem* colapho verberatum. Ingressus vero regem obsecravit ut Christianis indulgentiam [8] mandaret, et mandaret ne Christiani amplius comprehenderentur, quoniam zelo fervuerant et convenerant et clamaverant. Rex vero misericors mandavit ne, delicto eis remisso, amplius comprehenderentur. Itaque Christianis remissum est. Iudaei [9] autem comprehendebantur et iudicabantur si inveniebantur. 10 15 * p. 165. 20 25

Caput XXXIII, de eis quae in iudicio paganorum postea perpetrata sunt. — Post haec omnia autem, cum rex serenus Tiberius ostendere quaereret semet ea quae Dei timori congruunt non neglexisse nec neglegere, omnibus principibus [10] et omnibus senatoribus [11] mandavit ut omnes patricii et omnes consulares [12], et illustres [13] et praefectorii [14] et totus reliquus senatus [15] una convenirent, ut in praetorio praefecti [4] una conveni- 30

[1] πομφούς. — [2] Ms. om. — [3] Vel 'veredis'. — [4] ὕπαρχος. — [5] ἀποθηκάριος. — [6] στάσιν. — [7] ἀποθήκη, — [8] ἰνδουλγεντία. — [9] Ms. om. — [10] ἄρχοντες. — [11] συγκλητικοί. — [12] ἀπὸ ὑπάτων. — [13] ἰλλούστριοι, — [14] ἀπὸ ὑπάρχων. — [15] σύγκλητος.

rent [1], et omnia acta [2] quae de paganis sive in oriente sive in occidente facta erant ante eos recitarentur, mandato edito ut quicumque non adfuturus esset cinctus [3] eius secaretur. Itaque omnes una propter mandatum severum congregati totum diem
5 a mane usque ad vesperam ieiuni et maesti consederunt. Et omnia acta [2] ante eos recitata sunt, et primum eum cuius mentionem supra fecit narratio, Anatolium, qui rector [4] et ⌜praesidis vicarius [5] Edessae antea erat, mortis damnaverunt. Qui primo post tormenta mortalia bestiis obiectus est, et, cum ab his acer-
10 be laceratus esset, deinde porro abiit *et* crucifixus est. Et ante hunc alius socius eius cui nomen fuit Theodorus, * qui una * p. 166. omnibus paganismi operibus daemones colebant, tormentis magnis *et* acerbis adhibitis, ipse etiam multa confessus est; et, ut ad alia tormenta conservaretur, et de aliis interrogaretur, mis-
15 sus est ut in praetorio praetoris includeretur et conservaretur; qui ea nocte ibi mortuus est [6]. Quamobrem multi putaverunt eum se ipsum occidisse pro eo quod in eum etiam mortis iudicium [7] in eo esset ut pronuntiaretur. Ea ratione quod post baptismum daemonibus sacrificasset, sententia in eum pronuntia-
20 ta est ut cadaver eius etiam mortui combureretur. Et alii propter misericordiam naturalem hac re supersederunt [8]; mandavit [9] autem ut sepultura asini sepeliretur, tractus et foras proiectus [10]. Hic igitur praeter duo virum ac mulierem, quos multitudo [11] combusserunt [12]. Vir autem ille huius Theodori filius
25 fuit. Et hi ita mortui sunt, praeter alios multos, qui comprehensi erant et inclusi, quibus futurum erat ut tormenta et quaestiones adhiberentur, et alios adhuc, propter quos ad Syriam et Asiam et quoquoversus missum est ut comprehenderentur et ad urbem regiam venirent.

30 CAPUT XXXIV, de quaestione item quae de paganis postremo facta est. — Item postea, cum multi alii nominati essent et cottidie comprehenderentur et *ceteris* adderentur, et carceres omnes eis completi essent, tum clerici etiam ecclesiarum

[1] Ita iteratum. — [2] πεπραγμένα. — [3] ζώνιον. — [4] ἄρχων. — [5] ἀντιύπαρχος. (Vide p. 115, n. 2). — [6] Cf. p. 117. — [7] ἀπόφασις. — [8] Hoc perobscurum est. — [9] Imperator. — [10] IER., XXII, 19. — [11] ὄχλος. — [12] Sc. mortui sunt, quod incuria om. esse videtur.

nominati sunt et comprehensi et malorum multorum paganismi coarguti, in quos sententia pronuntiata est ut bestiis obicerentur, et postea igni comburerentur, itaque poenam hic
*p. 167. acceperunt qua digni erant, ibi autem *sententiam quae in eos dabitur Iudex terribilis aequitatis solus scit. Cum igitur 5 populus multus nominati [1] et comprehensi [1] essent, iudices qui in eos statuti erant multitudine eorum fatigati sunt, et tandem a praetorio praefecti [2] urbis, qui ipse etiam eorum *esse* censebatur, translati sunt et praetori dati; et exinde iudices in praetorio eius sedebant et iudicabant. Et tandem in aerar- 10 io (?) [3] sedebant et iudicabant, usque ad obitum regis Tiberii. Cui cum Mauricius in regno successisset, is etiam eodem zelo apparuit, et paganos qui nomine *ut* christianos se ostendebant, reapse autem idololatriam colebant iudicari ac conquiri iussit. Itaque cottidie iudicantur et laboris sui retributionem reci- 15 piunt, hic et ibi.

Caput XXXV, de caede acerba Eustochii episcopi Hierosolymorum quae a servo eius facta est. — Memoria tristis et luctuosa Eustochii *est* qui episcopus Hierosolymorum quondam erat, in quem, quoniam zelo acri paganis adversabatur 20 eosque accusabat, dolos et praetexta iniusta commenti sunt, et criminationes falsas, et, cum hic in urbe regia a iudicibus iniquis iudicatus esset, qui et ipsi pagani celati *erant,* de episcopatu eum iniuste deposuerunt. Qui, postquam depositus est, sursum deorsum vagando non incubuit, sed statim abiit et, 25 cella sibi in domo sancti Mār Sergii Hormisdae [4] adsumpta, se in ea tempus duodeviginti annorum inclusit, cum et ipsi reges et cubicularii, et totus senatus [5] virorum et mulierum eum ut virum iustum tenerent, et assidue eum veneraturi irent, quoniam
*p. 168. ut senex erat *canis ornatus et sermone et doctrina clarus, et 30 libris sanctis versatus. Nunc autem, anno 3° regni victoris Tiberii postquam imperator [6] factus est, Satanas cor unius e servis eius noctu implevit, et candelabro argenteo quod ante eum lucebat adsumpto et sublato, eum eo percussit, et cerebrum eius contudit. Et, cum «vae!» clamaret et diceret «Quare 35

[1] Sic. — [2] ὕπαρχος. — [3] δημόσιον. — [4] Sc. in palatio Hormisdae. — [5] σύγκλητος. — [6] αὐτοκράτωρ.

ita, frater? », inde rursus eum veru suo in ventre percussit, quo scisso intestina eius exire fecit, et extemplo mortuus est. Et, clamore et lamentatione a ceteris servis eius facto, cum excubitores audivissent qui infra eos custodiebant, et
5 cucurrissent *et* ad vocem eorum ascendissent, et manum eum comprehensuri iniecissent, stricta novacula unum percussit; et alius stricto gladio eum in umero percussit eumque deiecit, itaque eum subigere potuerunt. Et pavor et clamor subito factus est, et homines, turba magna, ex omni parte ad spectacu-
10 lum illud terrificum et triste obstupefacti cucurrerunt. Et fama ad regem pervenit, cum foris in processu[1] Hebdomi esset, et statim sine mora processum[2] mandavit et ingressus est; et, cum eum mortuum vidisset, fletu lamentatus est ut mulier ' super virum pubertatis suae '[3], cum ceteris qui eum viderunt
15 spectaculum terrore amaro plenum. Et mandavit et servus ille homicida praefecto[4] traditus est mortibus foedis et amaris moriturus. Itaque rex statim exiit. Servus autem bestiis obiectus est; et, postquam ab eis comesus et laceratus est, deinde manus eius ambae amputatae sunt et pedes ambo, itaque trun-
20 cus[5] eius cum manibus et pedibus in carabum[6] iactus est, et combustus est et in mari mersus, et laboris sui retributionem accepit; et de eo completum est quod scriptum est, « Vae impio malo ! quoniam opus manuum eius retribuetur »[7].

* CAPUT XXXVI, de monasterio magno quod in regione * p. 169.
25 Asiae nuper aedificatum est, a Iohanne qui super paganos, in monte Trallium urbis. — Cum igitur paganorum conversio diebus Iustiniani regis in quattuor regionibus Asiae et Cariae et Phrygiae et Lydiae facta esset, inceptione primum in montibus Trallium Asiae Dei auxilio facta, et cum milia multa in
30 territorio huius urbis ab errore idolorum cultus conversa essent, tum ecclesias viginti quattuor fecit[8], et monasteria quattuor inter eas nuper aedificata sunt, cum primo hoc magnum de quo vexillum sermonis proposuit ut narret in pago qui in eis montibus arduis *est* cui nomen D'RYR' aedificatum esset in

[1] πρόκενσον. Cf. p. 118, n. 6. Infra vox sensum litteralem habet. — [2] πρόκενσον. — [3] IOEL, I, 8. — [4] ὕπαρχος. — [5] κορμός. — [6] καράβιον. — [7] Is., III, 11. — [8] Sc. Iohannes.

domo idolorum incluta et magna paganorum, cuius iurisdictioni, ut senes quidam inter eos nobis narraverunt, mille quingentae idolorum domus quae in omnibus his provinciis [1] *erant* subiectae erant, ad quam (ut dicebant) quotannis conveniebant, et discebant et legem [2] ab ea accipiebant, quomodo sacerdotes eorum se gererent, et omnes ubique paganorum populi. In hac ipsa igitur per Dei revelationem Iohannes supradictus, cum eam usque ad fundamenta diruisset, monasterium hoc quod D'RYR' vocatum est in loco eius ample aedificavit, in montibus arduis et ingentibus, quod inter has omnes ecclesias est; necnon haec tria alia monasteria etiam aedificavit, unam supra id in eis montibus, et duo infra, iurisdictioni eius subiecta. Id vero monasterium ample et spatiose aedificavit impensa multa, quae ei a rege Iustiniano data est, cum *impensa* omnium harum * ecclesiarum et monasteriorum ceterorum, cum rex mandasset et tres typos pragmaticos fecisset, ut hoc magnum monasterium omnibus his ecclesiis et monasteriis imperaret, eaque doceret et ea conservaret et in omnibus vivendi modis eorum moderaretur.

* p. 170.

Huic ipsi igitur monasterio iam ab initio eius Satanas ei [3] invidit, et contra id tentationes et adversitates duras ex omni parte *ortas* excitavit, cum aperte daemones qui ibi antea habitabant et satiabantur propter sanguinem sacrificiorum quae eis ibi fiebant, in quae ut apes in ulcera putrida descendebant, ita etiam apparerent, aperte certantes et se ostendentes. Quamobrem ipso initio exstructionis eius unum e structoribus clericum quendam in aera [4] sursum extulerunt et deorsum in rupem deiecerunt, e qua rupes alia ea inferior, quae ea amplior erat, eum excepit, cum ipse Iohannes cum ceteris staret eumque spectarent, cum volitaret et capite inverso pronus descenderet, et de rupe in rupem allideretur, et descendit et in fluvio rursus in scopulum allisus est, et haud minus quam mille cubitorum altidudinem descendit. Et, cum eum descendentem spectarent et clamarent « Kyrie, eleeson », et cerebrum eius elisum esse et rupibus omnibus quibus adflictus esset asper-

[1] ὑπαρχίας. Melius esset ἐπαρχίας (cf. p. 115, n. 3). — [2] νόμος. — [3] Sic. — [4] ἀήρ.

sum, itemque intestina eius omnia eis omnibus intertexta putarent, et lamentantes cucurrissent ut dummodo ossium eius reliquias saltem colligerent et sepelirent, tum eum rectum sedentem invenerunt, et eos spectavit. Et, cum eum vivum vi-
5 dissent, obstupefacti et gravisi sunt, et Deo gratias egerunt, qui a morte acerba per daemonum exitiosorum dolos *effecta* eum adiuvit [1], cum etiam ne vulnus quidem in eo fieri Christus sivisset, nisi quod pauca tantum in tibiis eius *facta sunt,* quae laceratae sunt, et quicunque miraculum quod fecit Domi-
10 nus noster Iesus viderunt et audiverunt mirati sunt.

* Caput XXXVII, de eisdem adversitatibus et tentationibus quae monasterium D'RYR' invidia mali adortae sunt. — Anno postquam exstructio eiusdem monasterii D'RYR' perfecta est, quod anno 6° fuit, episcopus Trallium contra id monasterium
15 invidia excitatus est, dum iurat et dicit, « Ecclesiae meae villam id faciam, et totam aestatem in eo habitabo », cum et cum ipso etiam Iohanne rixaretur. Itaque ad regem Iustinianum [2] eum accusaturus ascendit: qui [3] cum ingressus eum de re certiorem fecisset, tum eum obsecravit ut eum in eo imperium
20 exercere et mandata dare iuberet, nec accedere Iohannem. Quamobrem, his ab eo auditis, dicit ei rex: « Per Christum, sine auxilio et mandato Iohannis ecclesiam vel urbem tuam non intrasses [4]; tu autem, qui [5] ecclesiam ad quam immerito vocatus es curare non potuisti, monasterium meum quod me
25 sciente et mandante aedificatum est arripere quaeris ». Tum mandat ne urbe regia exeat antequam Iohannes adveniat. Et post paulum Iohannes etiam ingressus est, cui rex omnia quae ei ab episcopo dicta erant indicavit, et quodcunque ipse ei responderat: et Iohanni mandavit ut ipse exiret et ipse in
30 ecclesia urbis et in xenodochio eius *res* curaret, nec episcopo liceret quidquam sine mandato eius facere.

* p. 171.

Alias vero etiam tentationes et adversitates multas contra monasterium illud suscitavit [6] et contra viginti quattuor ecclesias novas quas ipse Iohannes circa monasterium illud inter

[1] Sic. — [2] Ms. 'Iustinum'; corr. Sm. — [3] Sc. episcopus. — [4] Ms. 'intrassem'. — [5] Ms. om. — [6] Sc. Satanas.

* p. 172. paganos quos baptizaverat et christianos fecerat * in montibus Trallium urbis nuper aedificaverat et erexerat. Et Deus misericordia sua omnem mali invidiam ex eis sustulit, easque ad gloriam nominis sui usque ad hodiernum diem stabilivit.

CAPUT XXXVIII, de morte subita Eutychii. — Cum igitur 5 Eutychius patriarcha in partem orthodoxorum[1] mortis minis plenus esset et iuramentis duris minaretur, « Unum ex eis in hac urbe vel in viciniis eius vel in ceteris urbibus non relinquam », et, cum haec ita denuntiaret et minaretur, finis eius eum subito adsecutus est, et foveam suam accepit[2], et ‘ illo die 10 desierunt et perierunt omnes cogitationes eius’[3], et omnes denuntiationes eius et minae. ⌜Ad multa autem eruperat (?)[4], cum corporum resurrectionem negaret, et contra verba ‘ pro nobis crucifixus es ’ pugnaret; et multa erant quae in memoriis de eo *scriptis* includi debent, quae propter multitudinem eorum 15 omnia omisimus.

CAPUT XXXIX, de Iohanne qui antecessoris eius[5] sacellarius fuerat qui post eum electus est. — Cum igitur Eutychius mundo exiisset die mensis nisān[6] 5° eius, Iohannes diaconus qui Iohannis sirimensis, Eutychii antecessoris, factus erat sacel- 20 larius post eum arreptus est ut in vicem eius constitueretur, vir asceta et ieiunator, et vigil, qui in ipsa ecclesia magna in cella assidue quietus habitabat[7]. Hic comprehensus est et principatus mentionem etiam audire tantum recusabat. Quem, cum contenderet, rex Tiberius ad palatium[8] arripi jussit et ibi cus- 25 todiri; et rex ei repugnavit et totus senatus[9] et multo labore
* p. 173. * ei persuadere potuerunt, cum testaretur et diceret, « Ego canone meo non desistam, nec usque ad horam nonam hominibus colloquium[10] faciam ». Et, multis *rebus* factis, ordinatus[11] est, et hanc regulam perdurasse dicebant, cum usque ad ho- 30 ram nonam secundum morem suum priorem neminem recipe-

[1] ὀρθόδοξοι. — [2] Cf. p. 30, l. 23. — [3] *Ps.* CXLVI, 4. — [4] Aut ‘Multa... edidit’. — [5] Sc. Eutychii; vide infra. — [6] Aprilis. — [7] Aut ‘sedebat’. — [8] παλάτιον. — [9] σύγκλητος. — [10] συντυχία. — [11] Litt. χειροτονηθῆναι factus.

ret. Et homines eum mirabantur, cum eum totum diem pronum iacere et orare dicerent, cum debilis esset et ut lignum aridus. Qui autem Eutychii diebus fidei praetextu ut latrones [1] hominibus orthodoxis [2] incidere solebant, itemque haereticis et 5 bona eorum arripere, secundum morem suum eum obsecrare inceperunt ut sicut antecessor eius eis exire permitteret et homines spoliare et trahere et adducere eos*que* in carceribus includere. Is autem, cum haec didicisset, dixit eis: « Abite et quieti sedete. Ego enim vos exire et incidere et homines spo-10 liare, et Deum et ecclesiam eius sanctam blasphemari non sinam ». Dicunt ei: « Eutychius nobis ita mandavit. » Dicit eis: « Ego pacem et tranquillitatem meis diebus fieri iubeo. Sin autem Eutychium praetendite, nunc etiam ad eum ite, et quod [3] vobis mandabit facietis ». Et multa de eo scribi possent quae 15 admirabilia sunt, et propter copiam verborum narrationes quae ad eum attinent brevi sermone comprehenduntur.

Caput XL, de Mondir filio Hārith, et de accusatione in eum facta. — Cum igitur comes Mauricius in Oriente copiis praeesset, cum Mondir rege Ṭayāye consilium iniit * terram Persarum * p. 174. 20 una invadere. Quamobrem, dies *aliquot* progressi donec e regione Beith Arāmāye pervenerunt, qua *est* urbs regis Persarum, cum pontem quo se transituros et urbem regiam expugnaturos exspectabant ante se intercisum invenissent, tum in rixam mutuam venerunt, cum Mauricius de Mondir censuisset 25 eum ipsum ad Persas nuntium misisse eosque pontem solvisse. Itaque, cum inimicitiam et rixam inter se sevissent, nulla *re* effecta redierunt. Et exinde ad regem Tiberium alter contra alterum scribere inceperunt, quos conciliare rex valde studuit. Quod cum non potuisset, Mauricius ad regem ascendit eumque 30 male et aspere accusavit, et rex accepit et, ira aspera contra Mondir repletus, operam dabat quomodo eum circumveniret et comprehensum ad urbem regiam venire faceret.

Tum Magnus syrus curator [4], quoniam amicus eius fuit et patronus [5], et ei [6] confidebat, eum ⌈procuratorem eius apud re-

[1] ληστής. — [2] ὀρθόδοξοι. — [3] Text 'si', corr. marg. — [4] κουράτωρ. — [5] πάτρων. — [6] Sc. Magno.

gem esse[1] *arbitratus*, regis gratiam secutus, dicit ei: « Ego eum, si mandabis, huc vinctum ad te adducam ». Et rex gavisus est, eumque misit. Qui veredo[2] *vectus* ad Orientem descendit, ad pagum suum qui vocatur Ḥaurin, quem etiam urbem fecerat, et muro cinxerat, et in qua ecclesiam aedificaverat, cuius etiam praetextu eam consecraturus descendit. Cum etiam descenderet, patriarcham Antiochiae secum adduxit, quo magis Mondir deciperet ut veniret. Et deinde dolo nuntium ad Mondir misit, « Quoniam propter encaenia huius ecclesiae veni, itinere etiam fatigatus sum, et nisi ita *esset* ego ad te venissem et te salutassem, sed, quoniam salutem tuam videre cupio, te obsecro ut statim ad me venias, neu * copiam[3] exercitus magni tecum adducas; quod te dies *aliquot* apud me esse quaero, et nos una delectari, nec te impensas[4] multas exercitui magno facere; sed tu cum paucis veni ».

* p. 175.

Caput XLI, de Mondir ad Magnum adventu et comprehensione eius et ceteris *rebus*. — Cum igitur Mondir a Magno responsum[5] accepisset, gavisus est; et statim sine mora confidenter ut ad carum amicum sine magno exercitu ad eum venit, cum eius nullum omnino metum in mente haberet. Et ille, id agens ne dolum suum scelestum ostenderet, eum laete recepit; et mandavit, et convivium factum est dum dicit, « Qui tecum venerunt dimitte ». Dicit ei, « En !, ut mandasti, cum exercitu magno non veni, et quando rursus abibo sine exercitu etsi parvo iter facere non possum ». Dicit ei, « Dimitte eos; et quando abibis nuntium ad eos mittes, et venient ». Mondir autem, quoniam vir scientiae magnae fuit, res non placuit, et metuere incepit; et nuntium ad exercitum suum misit ut paululum recederent eumque exspectarent. Quibus dimissis, Magnus exercitum qui cum eo *erat* adesse[6] clam iussit, et ducem[7] qui cum Magno esse iussus erat. Deinde hora vesperis ei dicere incepit: « Domine patricie, ante regem accusatus es, et te ad se ascendere iubet, et purgationem sibi facere, et sibi persuadere id quod in te dictum est non verum esse ». Tum Mondir ei respondit, dicens, « Post tot labores accusationes in me *factas*

[1] Litt. 'ἀποκρίσεις eius ap. regem facere'. — [2] βέρηδος. — [3] ὄχλος. — [4] δαπανή. — [5] ἀπόκρισις. — [6] Vel 'se accingere'. — [7] δοῦξ.

accipi oportere non censeo. Ego enim regis servus sum, nec ascendere recuso; sed hoc tempore castra[1] mea relinquere non possum, ut Ṭayāye Persarum veniant et uxores et filios meos captivos faciant, et quodcunque * habeo capiant ». Tum exercitus Romanorum armatorum ostensus est; et Magnus ei succensuit, et dixit: « Nisi sponte ascendes, catenis tibi iniectis, asino te vehi faciam, et ita te mittam ». Tum, cum dolus eius ei revelatus esset et se ab eo exercitu suo nudatum esse vidisset, et conclusum et exercitui Romanorum qui eum custodirent traditum, infirmatus et subactus est ut leo in deserto qui in cavea conclusus est.

* p. 176.

Exercitus autem eius, cum haec didicissent, castra[2] circumsederunt, et ea incendere paraverunt; et, cum Romanos apparuisse vidissent et se ad bellum parasse, secesserunt. Eum vero a Romanis circumdatum eduxerunt custodia multa ascensurum; et ad urbem regiam pervenit.

Et, cum ingressus esset, rex mandavit ut qua antea devernatus erat[3] deversaretur; et ei et eis qui cum eo *erant* sumptus[4] adsignatus est. Itaque mansit nec receptus est, cum unam uxorem suam et duo filios et unam filiam secum haberet.

Caput XLII, de filiis Mondir quattuor, et de eis quae perpetraverunt. — Filii igitur Mondir quattuor, et praesertim qui natu maximus erat cui nomen Nā'mān, vir ipso Mondir ferocior[5] et ad bellum paratior, copiis suis collectis, in castra[2] Magni inciderunt, qui ipse etiam ad regem ascenderat; et, praeterquam quod homines captivos non fecerunt et occiderunt vel incenderunt, omnia spoliaverunt et abstulerunt, aurum et argentum, et aes et ferrum, et omnes vestes lanae sive lini, sive frumentum sive vinum, sive oleum; et omnia armenta iumentorum omnium generum[6] quae in manus eorum incidebant rapuerunt, et omnes greges taurorum, et omnia pecora ovium et caprorum. Et exercitus Ṭayāye cucurrerunt, et, omnibus pagis Arabiae et Syriae quae circa ea[7] erant spoliatis,

[1] Syr. ḥirtḫā, sed non est locus qui Ḥirthā vel Al Ḥira appellatur, qui Arabum Persarum erat. — [2] κάστρα. — [3] IV, xxxix. — [4] ἀνάλωμα. — [5] Aut 'astutior' (Sm. et Schönf.)', sed cf. IV, xi tit. — [6] γένος. — [7] Sc. castra Magni.

*p. 177. bona et praedam multam *et* * infinitam collegerunt. Et introrsus in desertum interius penetraverunt, et, castris[1] magnis ibi positis, spolia diviserunt, vigilantes et ad bellum parati, et ex omni parte praecaventes. Et rursus exibant et spoliabant et diripiebant et desertum intrabant, donec tota regio Orientis 5 usque ad mare ante eos territa est, et in urbes confugiebant, nec ante eos videri audebant. Quamobrem, cum a regionis rectoribus et exercituum ducibus nuntius eis missus esset, « Quare haec omnia ita facitis ? », ei etiam nuntium miserunt, « Quare rex patrem nostrum ut in captivitatem abduxit post tot labo- 10 res et victorias et fortitudines quibus pro eo laboravit et dimicavit, et nostras annonas[2] abolevit nec habemus unde vivamus? Quapropter haec perpetrare cogimur. Sufficit quod non occidimus nec incendimus ». Praeterea tandem contra Bostram urbem profecti eam circumsteterunt, et dicunt eis, « Arma 15 patris nostri et ceterum apparatum regium eius quae apud vos deposita sunt nobis date. Sin autem, quodcunque poterimus et in urbe vestra et in tota regione[3] eius evellemus et comburemus, et occidemus ». Quamobrem, cum dux[4] haec audivisset, qui vir inclitus et clarus erat, tum iratus, exercitu suo 20 collecto, exiit, eis utpote Ṭayāye contemptis. Contra quem aciem instruxerunt eumque superaverunt, et eum et multos ex exercitu eius occiderunt. Quod cum illius urbis incolae vidissent, territi sunt, et nuntium eis miserunt, « Caedem omittite, vestra nos dabimus; pacati accipite ». Itaque res patris 25 eorum ad eos extulerunt, quibus receptis ad desertum ad castra[1] sua redierunt, nec usque ad longum tempus spoliatione et rapina destiterunt.

Caput XLIII, de descensu Magni secundo, et de morte eius quae eum ibi consecuta est, et fallaciae et mala eius desierunt. 30
*p. 178. — Cum autem Tiberius haec de filiis * Mondir audivisset multum exarcebabatur; necnon Magnum rursus misit, ut fratrem Mondir in vicem eius regem super Ṭayāye faceret, et ut, si posset, filios Mondir aut dolo aut blandimentis et illecebris aut bello subigeret eosque comprehenderet. Et, urbium iudici- 35

[1] Ḥirthā (vide p. 131, n. 1). — [2] ἀννώνας. — [3] χώρα. — [4] δοῦξ.

bus etiam et ducibus[1] exercitu magno cum eo ire iussis, tum ita pompa magna descendit. Et primo fratrem Mondir regem ...... constituit, qui post viginti dies mortuus est. Et tandem catervae .... fraudulenter ......[2]

5 [Et Magnus Nā‘ mān decipere incepit, et dixit ei, « Si ad me venies te in loco patris tui constituam ». Qui famulorum unum adductum vestitu suo vestivit et cum paucis misit. Quem cum Magnus vidisset dixit ei; « Tune Nā‘ mān es? ». Et dixit ille, « Ego sum qui secundum mandatum tuum veni ». Deinde man-
10 davit, « En! ⸢qui in regem bellum excitavit[3] catenas ei inicite ». Deinde ille risit et dixit: « Sicut mentiri voluistis, vobis mendacium dictum est. Per Christum, ego non sum Nā‘ mān ». Quem Magnus occidere quaesivit. Is autem dixit: « Ego aut ab ipso rege meo occisus essem nisi venissem, aut a te quod
15 veni. Exinde mihi mors laus est ». Quocirca post cruciatus eum dimisit. Et deinde Magnus vir homicida et pessimus mortuus est. . . . . ,

Caput XLV, de caritate quae in urbe regia subito facta est. — Anno 893, qui est annus 4us * Tiberii, quo vitam suam fi- *p. 179.
20 nivit, fuit caritas panis in omnibus regionibus occidentis, et praesertim in urbe regia. Et, cum panis consumptus esset nec in foris videretur, rex hordeum publicum[4] dari iussit, et hoc artocopi[5] ⸢panem fecerunt[6]: et intra tres dies defecit. Et rursus stramentum equorum publicorum[4] et omnium stabulorum[7] re-
25 giorum dari iussit ut panis fieret, denique depsari legumina quae in omnibus apothecis[8] inventa essent, lentes videlicet et ciceres, et oryzam et cicerculas[9] et pisum[10] omne et hordeo commisceri, et panem fieri. Et temporibus matutinis panis ille horrendus videbatur, et magnis pretiis[11] rapiebatur. Et rex ad
30 regiones multas misit et panem attulit, ex Aegypto et Thebaide. Deinde et ibi etiam crevit fames; et tota terra angustiam patiebatur, et homines in eo erant ut de facie terrae deficerent.

[1] δοῦξ. — [2] 10 folia hic perdita sunt. Uncis inclusa e Mich. et *Chron.* 1234 et ex indice capitum suppl. sunt. — [3] Litt. ‘regis ἀντάρτης’. — [4] δημόσια (genit.). — [5] ἀρτοκόπος. — [6] Text om. — [7] σταβλία (sic). — [8] ἀποθήκας. — [9] Text. ‘cicerculam’. — [10] πισάριον. — [11] τίμαια (sic.).

Caput XLVI, de strage infantium ingente. — Et mors primo in pueris et puellis praevaluit ob duas *causas*, primam quidem ut conservarentur ne peccati fetore macularentur et secundam ut senectutis duritia quae ad sepulcrum sine paenitentia pervenerat leniretur. Postea mors in omnibus aetatibus praevaluit et deinde Deus clemens miseratus est, et captura abundans e mari ascendit, quae tota unum genus[1] piscium erat quod vocatur thunnus[2] quae adeo * magna fuit ut sicut ex acervo tritici et sicut e vasibus (?) [3] extraherent et subducerent. Et adeo multi fuerunt et facta est in eis satietas ut thunnus[2] piscis novem librarum[4] uno folle venderetur. Et in locis quae mari non adiacebant Deus olera mirabilia multa fecit lactucas et melopepones et similia, quibus homines vescebantur.

* p. 180.

Necnon eo tempore fuit incendium ignis in urbe regia.

Necnon fuit terrae motus gravis in ea urbe regia, et magis in regionibus Orientis. Et cum eo fuit vox clamans[5] quae e terra interiore ascendebat.

* p. 344.

Caput XLVII, * de rege Tiberio et de tempore mortis eius. — Tiberius autem anno quarto dysenteria et intestinorum contusione[6] aegrotavit. Et, cum se moriturum sciret, Mauricium[7] de Arabisso Cappadociae in loco suo sedere fecit, et filiam suam Augustam ei uxorem dedit. Et omnes senatores[8] congregavit et dixit: « Fratres mei orate pro me »; et multa locutus est; et diadema Mauricio imposuit. Et post duo dies Tiberius mortuus est. Et tota urbs magno luctu vestita est ob mortem patris misericordis et lenis, et ob pulcritudinem adulescentiae eius. Et, ut multi dicunt, non *fuit* alius rex *qui* ut is elatus est, et de quo fuit luctus talis, quoniam omnibus bene faciebat (recordatio eius in memoria tenetur).

. . . .

* p. 180.

* Caput LI, de Iohanne qui post Eutychium patriarcha factus est. — Cum Iohannes a Synoditis impiis ut orthodoxos[9] perse-

[1] γένος. — [2] θύννος. — [3] Text. 'malis'; corr. Chabot. — [4] λίτρα. — [5] Sc. 'mugiens'. — [6] Vide n. ad textum. Bruns (ad Barh.) cod. lectionem retinet et 'calore' vertit, itaque Chabot; sed vox syriaca ignota est. — [7] Text 'Mauricianum', et similiter infra. — [8] σύγκλητοι. — [9] ὀρθόδοξοι.

quaerentur multum impelleretur, non permisit, sed ipsi negatores (?) turbas omnibus modis excitare non desistebant, adeo ut fidelium facies[1] conspuere auderent, ut ad lites faciendas zelo incitarentur; et[2] fideles omnia mala eorum propter Deum tolerabant. Praeterea contra ipsum patriarcham murmur eorum vertebant, adeo ut coram eo dicere ausi sint: « Nisi διακρινομένους persequeris, ut * fecit Eutychius et antecessor eius, te in opinionem eorum includemus ». Is autem nec ita quidem crudelitati eorum se submisit. *p. 181.

Caput LII, de misericordia et liberalitate eiusdem patriarchae Iohannis. — Et praeter ieiunationem et abstinentiam eius misericordia etiam strenuissimus erat, et saepe de eo accusatus est quod Severi dogmati[3] consentiret, quia malorum voluntati non consentiebat. Et regi de eo indicaverunt, ut largitatem munerum eius coerceret ne (ut dicebant) necessitatem haberet et ecclesiae ministerium dispergeret. Is autem regi respondit: « Noli sollicitari, et qui te docuerunt, quod unam siliquam[4] de rebus ecclesiae nemini dedi ».

. . . .

. . . .

Caput LIV, de inclusione Mondir et ex urbe regia in exsilium[5] longinquum eiectione. — Cum[6] igitur Mauricius regnasset Mondir in exsilium[5] misit.

. . . .

. . . .

Caput LVI, de Nā'mān filii Mondir ad urbem regiam adventu. — Deinde Nā'mān vita sua contempta ad Mauricium[7] ascendit, et ab eo receptus est. Qui ei iuravit, si cum Persis dimicaturus esset, se patrem eius etiam * exsilio[8] exsoluturum. *p. 182. Et dictum est ei ut a Synoditis communionem[9] acciperet quod recusavit, dicens: « Omnes catervae Ṭayāye orthodoxae[10] sunt,

[1] πρόσωπα. — [2] Lineis deletum. — [3] δόγμα. — [4] κεράτιον. — [5] ἐξορία. — [6] De *Chron.* 1234. Ap. Mich. deest. — [7] Mich. 'Mauricianum Caesarem'. *Chr.* 1234 'M. regem'. Mauricius, ut ipse Ioh. (cap. xlvii et V, xiii) dicit, paucis tantum diebus ante mortem Tiberii Caesar factus est. — [8] ἐξορία. — [9] *Chr.* 1234 add. 'in urbe regia'. — [10] ὀρθόδοξοι.

qui si Synoditis accedam me occident ». Qua de causa ⌈odium crevit[1]. Et, cum discessisset Nā'mān, iuravit se faciem Romanorum sponte sua non amplius visurum. Quapropter, cum iter faceret, eum comprehenderunt et cum Mondir patre eius in exsilium[2] miserunt. Et[3] regnum Ṭayāye inter quindecim principes divisum est, quorum plerique se Persis coniunxerunt. Et regnum Ṭayāye christianorum desiit ob causam doli Romanorum, et haeresis inter Ṭayāye germinare incepit.]

. . . .

. . . .

(LIBER IV.)

. . . .

. . . .

sive ordinationum[4], is administrabat; itemque etiam tandem, cum Paulus venisset qui patriarcha Antiochiae factus est, una administrabant. Quamobrem etiam, cum Theodosius senex et infirmissimus factus esset, nec stare et offerre posset, ipsi Longino, cum adhuc presbyter esset, mandavit et permisit ut in loco eius staret; et is eius vice totum tempus vitae eius offerebat. Mandavit autem de eo ut ipse populo qui instituti erant[5] et Nobadae vocantur[5] episcopus fieret. Quae in *narrationibus* sequentibus, itemque historiam quae ad eos attinet memoriae trademus.

* p. 183. * Caput VI, de populo barbaro Nobadarum qui ad christianismum instituti sunt et de causa institutionis eius. — In synodo eiusdem papae Theodosii erat vir quidam senex perfectus cui nomen Iulianus. Hunc igitur zelus spiritalis invasit propter populum illum errore constrictum, qui in fine Thebaidis orientali ultra Aegyptum erat, qui regno Romanorum ne subiectus quidem erat, sed et tributum accipiebat ne Aegyptum invaderet et captivos abduceret.

[1] *Chr.* 1234 'dimissus est nec oblationem a Chalcedoniis recepit'. — [2] ἐξορία. — [3] Haec Iohanni, qui res Arabum praecipue tractat, adscripsi, quamquam tempus longius quam ad eius mortem fortasse postulant. — [4] χειροτονίας. — [5] Sic.

Illi ipsi igitur populo cum studuisset beatus Iulianus, ingressus Theodoram reginam (cuius anima requiescit) docuit ut de conversione illius populi studeret. Regina autem, quoniam zelo Dei fervebat, laete accepit; et ut populus ille ab errore idolo-
5 latriae converteretur se omnia facturam promisit. Haec vero ob gaudium suum regem victorem Iustinianum certiorem fecit, et se beatum Iulianum illuc missuram promisit et *mittere* studebat.

Rex autem, cum eam ex adversariis synodi illuc mittere stu-
10 dere audivisset, non gavisus est, id agens ut episcopis suis ad Thebaidem scriberet ut ipsi ingressi eos instituerent, et synodi nomen ibi plantarent. Et exinde et is etiam zelo motus est, et confestim legatos illuc ante misit cum auro et vestimentis baptismi, et muneribus regi illius populi *destinatis*, et litteris ad
15 ducem[1] Thebaidis *scriptis* ut ipsum legatum curaret et ad populum illum transmitteret. Quamobrem, cum ipsa etiam regina haec didicisset, astutia sua epistulas ad ducem[1] Thebaidis sedulo fecit, et magistrianum emisit (?): « Quoniam mihi et regi in animo fuit legatum ad populum Nobadarum mittere, et en!
20 * ego etiam beatum quendam cui nomen Iulianus mitto, et hunc meum ante regis *legatum* ad populum illum ingredi volui, noveris, si illum ante hunc meum illuc ingredi facturus sis, nec eum donec hic beatus meus veniat praetextis retenturus, et cum praeteriturus sit et ingressurus, tibi vitam non fore, sed me
25 illuc missuram et calvariam tuam ablaturam ». Quamobrem, cum dux[1] Thebaidis haec audivisset, necnon regis etiam legatus ad eum pervenisset, tum eum dimisit, dicens ei, « Patientiam habe, dum videmus et iumenta paramus, et homines paramus qui desertum sciunt, itaque *eos* sumes et ingredieris ». Itaque
30 eum dimisit et remoratus est, donec ipsius reginae misericordis legati advenerunt, et iumenta parata invenerunt et homines, et eodem die sine mora velut vi iumenta ceperunt, et priores abierunt. Et regis legato nuntium misit, « Noveris, postquam tibi parassem et iam tibi mittere quaererem, reginae legatos
35 supervenisse, et mihi vi incidisse, et captis iumentis ire perrexisse. Et reginae timorem magis quam ego novisti; et hac de

* p. 184.

[1] δοῦξ.

causa eis obstare non ausus sum. Sed mihi rursus mane, donec denuo tibi parabo, ut tu etiam in pace abeas ». Quamobrem, cum haec didicisset, vestes suas scidit, dum valde minatur et conviciatur. Itaque post dies *aliquot* et is etiam profectus est et tandem abiit, dolo qui in eum factus erat non detecto. 5

Caput VII, de adventu beati Iuliani et qui cum eo erant ad regionem Nobadarum, et quomodo recepti sint, et de ceteris rebus quas Dei auxilio ibi perpetraverunt. — Cum vero Iulia- * p. 185. nus et legati qui cum eo *erant* * ad regionem pervenissent, et ad regem et primores eius misissent eosque certiores fecissent, 10 exercitum eis obviam miserunt, et gaudio receptos in regionem suam ad regem suum introduxerunt, qui ipse etiam eos laete accepit. Et reginae litteras etiam dedit[1] et lectae sunt et vis earum cognita est; et munera magna etiam receperunt et baptismi vestimenta multa, et omnia profuse. Et statim exsultantes 15 se dederunt, et omnem patrum suorum errorem negaverunt, et Deum Christianorum confessi sunt, dicentes: « Is est unus Deus verus, nec praeter eum est alius ». Et, cum eos valde instituisset eosque docuisset, de hac *re* etiam ⌜eos certiores fecit⌝[2] et ante docuit, « Quoniam contentiones quaedam inter Christianos 20 de fide provenerunt, quam ob causam beatum etiam Theodosium, cum accipere flagitatus non obtemperasset, rex sede eius eiecit, regina autem accepit, et eo gavisa est, quoniam in fide recta constitit, et pro ea sede sua exiit, propter hoc etiam *regina* nos ad vos misit, ut vos etiam post papam Theodosium eatis, et 25 in fide eius baptismum recipiatis, et veritatem eius servetis. Praeterea rex etiam legatos ad vos misit, qui etiam iam post nos veniunt »; et eos docuerunt quomodo eos reciperent eisque responsum darent. Et, cum omnibus his *rebus* confirmati essent, tum et regis etiam legatus advenit; qui ipse etiam ingressus 30 regi eorum epistulas et munera dedit, et ipsi[3] etiam ut iussi erant eos docere inceperunt, dicentes, « Rex noster Romanorum nuntium vobis mittit, 'Si christiani fietis, vos ad ecclesiam et * p. 186. qui eam sustinent applicate, nec * post eos qui ecclesia pulsi sunt

[1] Sc. Iulianus. — [2] Ms. 'cert. fecerunt'. — [3] Legatus et comites eius. Infra 'legati' vocantur.

erraveritis' ». Cum rex Nobadarum cum primoribus suis haec audivissent[1], eis responderunt, dicentes, « Regis Romanorum munus accipimus, et nos etiam ei munus mittemus. Fidem autem eius non accipimus; sed, si christiani fieri merebimus, post 5 papam Theodosium ibimus, quem propter malam regis fidem quam accipere noluit ecclesia eius expulit et eiecit. Et nos, si paganismum et errorem fugimus, in malam fidem rursus incidere non patiemur ». Itaque legatos dimiserunt, cum haec ipsa scripsissent.

10 Beatus vero Iulianus tempus duorum annorum apud eos mansit magna aestus intemperie[2], cum narraret se a tertia hora usque ad decimam nudum et sindone cinctum cum toto regionis populo in speluncis aquae plenis ingressum sedere solitum esse, cum membra spirantia sola ex aqua exstarent. Perstitit vero et 15 instruxit et regem baptizavit et primores eius, et populum multum qui cum eo erat, cum et episcopum quendam etiam a Thebaide secum adduxisset, virum senem cui nomen Theodorus. Et, cum docuisset et composuisset, eos episcopo illi tradidit et, ex eis egressus Constantinopolim pervenit. Qui nobis[3] praesen- 20 tibus a regina magno honore receptus est, cum de populo illo magno miranda ac multa narraret, quae ob multitudinem eorum scribere praetermisimus, his paucis *rebus* tantum prolatis.

Caput VIII, quod, cum beatus Theodosius mundo exiit, populum illum meminerat, et mandavit ut Longinus eis episcopus 25 statim fieret et illuc mitteretur, quoniam etiam Iulianus mortuus erat. — * Die exitus igitur papae Theodosii, populum illum * p. 187. recordatus est, et praesertim quod et beatus Iulianus etiam paulo ante mortuus erat qui eum instruxerat, itemque Theodora regina (cuius anima requiescit); et mandavit ut beatus 30 Longinus ibi fieret, utpote vir studiosus qui eos penitus convertere poterat et in christianismo confirmare. Statim vero post papae obitum Longinus illi loco episcopus factus ad proficiscendum se paravit. Qui cum vasa sua in navem profecturus imposuisset, homines adfuerunt quorum ut scriptum est dentes 35 'hastae et sagittae et lingua ut gladius acutus'[4], qui ingressi

[1] Sic. — [2] ἀνάγκῃ. — [3] Ms. 'eis'. — [4] *Ps.* LVII, 5.

regi dixerunt: « Noveris Longinum episcopum factum esse, eumque palatii[1] nostri inimicum esse, et vasa sua in navem profecturum imposuisse. Qui si abibit, quoniam vir iracundus est, et abibit[2] et populum illum intrabit, eos statim ad bellum et ad captivos de terra Romanorum abducendos incitabit. Et nunc manda et comprehendatur ». Quamobrem, cum rex haec didicisset, ira incitatus mandavit et comprehensus est, et vasa eius e nave sublata sunt; itaque ei discedere non permissum est. Et exinde tres anni sunt quibus tempus observat. Postremo autem, cum se custodiri nec sibi discedere permitti cognovisset, habitum[3] suum mutavit, et crinium galeam capiti imposuit (erat admodum calvus), itaque, famulis duobus secum adductis, fugit, et Deus eum evadere fecit; et iter fecit et ingressus in illa regione magnifice et gaudio magno receptus est. Qui omnes denuo instruit et illuminat et docet, et ecclesiam ibi fecit, et clerum instituit, et rituum ordinem docuit, et omnes christianismi regulas.

Cum autem fugisset et rex didicisset, graviter stomachatus omnes maris transitus occupari iussit et * omnes vias custodiri; et ad omnes regiones scriptum est, et omnia supervacanea inventa sunt. Longinus vero regem illius populi legatum ad regem Romanorum mittere fecit, cum donis et muneribus, qui, cum receptus est et coram nobis et ceteris honoratus, Longino gratias agebat, dicens: « Etsi christiani nomine facti eramus, quid sit christianismus donec Longinus ad nos ingressus est reapse non didiceramus ». Qui cum multa et magna de eo narraret, rex contra eum silens exacerbatus erat.

* p. 188.

Caput IX, de eis quae a Theodosio archipresbytero et Theodoro archidiacono ecclesiae orthodoxorum[4] Alexandriae ei Longino scripta sunt. — Cum igitur Longinus in illa regione plus minus sex annos complevisset, Satanas qui bonis *rebus* invidet ei invidit quomodo[5] eum inde fugare et eicere posset, et eius causa damnum et discidium et ruinam in ecclesia efficere; et litteras ad eum a principe cleri Alexandriae Theodosio archipresbytero et a Theodoro filio sororis eius archidiacono scribi

[1] παλάτιον. — [2] Sic. — [3] σχῆμα. — [4] ὀρθόδοξοι. — [5] Sic elliptice.

fecit, quae eum invitabant ut, illa regione relicta, ad regionem Alexandriae vicinam veniret, et sibi papam facerent, et ecclesiae succurreret; quod ipsum mali et discidii initium fuit. Quamobrem, his litteris receptis, Longinus zelo acri incitatus 5 est et fervuit et, omni mortis timore contempto, se ad regionem illam relinquendam parare incepit, et quae hae litterae ei mandabant facere et exsequi. Quamobrem, cum rex haec didicisset et omnes * primores eius, congregati eum a discendo depellebant. Is autem litteras ostendebat, dicens: « Res propter 10 quam discedere iussus sum communis[1] totius ecclesiae est, nec possum quin discedam ». Et rursus cum eo contendebant, et lugebant et flebant, dicentes, « Rursus sicut antehac orbi sine patre manebimus ». Itaque maerore et luctu amaro eum dimiserunt, et commeatu instruxerunt. Qui cum discessisset ad 15 Theodorum episcopum senem Philarum quae in Thebaide superiore *sunt* venit, quem litteris ostensis de eis quae scripta erant consuluit, et ut, si posset, cum eo iret flagitabat. Is autem ob senectutem provectam non potuit; prope quinquaginta enim anni fuerant e quo a Timotheo, beati Theodosii anteces-20 sore, episcopus factus erat. Vi vero litterarum is etiam adsensus est, et vice personae[2] suae Longino auctoritatem[3] fecit ut locum eius impleret, dum omnibus quae facturus esset adsentitur. Itaque discessit et ad Mareotidem pervenit quo ei scriptum erat; et quid faceret meditabatur, cum paveret ac timeret 25 ne adventus eius in regionem Romanorum qui post fugam eius *factus est* notus fieret, et comprehensus morte mala moreretur; et ob hoc cor eius pavebat.

* p. 189.

CAPUT X, de episcopis duobus Iohanne et Georgio qui eo tempore a Syria ad eundem Longinum missi erant, et de Theo-30 doro qui in tentationem incidit. — Episcopi vero duo Iohannes a monasterio M ā r Bassi et Georgius u r ṭ ā y ā[4], qui eo tempore creatus erat nec adhuc solutus ut episcopatu[5] fungeretur, eo[5] tempore a synodo orientali ad eundem Longinum ⌈missi

[1] κοινόν. — [2] πρόσωπον. — [3] ἐντολικόν. — [4] Populus qui Anzetenen habitabat. Vide tom. VI, p. 17, 22, et NÖLDEKE in *ZDMG.*, XXIII, p. 163. — [5] Ms. om.

*p. 190. sunt[1] et ad Theodorum Philarum *supradictum, propter rationem Pauli Antiochiae post tentationem et fugam eius recipiendi, an ei recipiendo et unioni cum eo *faciendae* adsentirentur. Quamobrem[2], cum regionem eius eum adituri ingredi parati essent, et eum a regione sua discessisse et ad Aegyptum descendisse didicissent, post eum redierunt, eo quod secundum famam de eo auditam iverunt *et* eum in Libya extra Alexandriam in loco qui vocatur Mareotis invenerunt; quos gaudio recepit, et, cum litteras legisset, eis[3] gavisus est, dicens, « Bene Deus vos adduxit; et potius[4] propter hoc vos nunc misit, ut manum nobis ad ecclesiam sustinendam extendatis. Propter hoc enim ipse etiam quando mihi scriptum est a regione longinqua discessi et veni, ut Alexandriae patriarcha fiat ». Ei autem dixerunt: « Nos quomodo sine mandato patriarchae nostri patriarcham creare possumus? Sed potius[4], si hoc facere quaeris, ipse etiam inveniatur; etenim haud procul abest, et ibimus *et* eum adducemus ». Et, cum multa inter eos dicta essent, abierunt et Paulum patriarcham a loco propinquo, ut dicitur, habitu[5] romani[6] vestitum ad regionem Libyae adduxerunt, et Longinum circumeuntem invenerunt et circumspicientem et virum ordini summi sacerdotii idoneum diligenter quaerentem. Quem cum invenissent ad desertum solitariorum ultra beatum M ā r Menam quod vocatur RMNYN una pervenerunt, et archimandritam illius loci invenerunt, virum egregium cui nomen Theodorus, qui genere[7] a Syria erat; et hunc adloqui inceperunt ut Alexandriae papa fieri annueret. Qui, hac *re* audita, commotus recusabat et fugiebat, itemque iuramenta praestabat, et decreta de se faciebat, adeo ut eum ana-*p. 191. themate constrinxerint, si *hoc recusaturus esset vel locuturus. Itaque eum vi correptum invitum et flentem et lamentantem Longinus et hi duo episcopi creaverunt, nec Paulus, ut iurabant, ad eos tempore ordinationis[8] eius accessit pro eo quod post lapsum quem fecerat ne solutus quidem et receptus adhuc erat, postremo autem, quamquam tempore ordinationis[8] eius non adfuit ceteris *rebus* functurus, adsensus est et accepit et

[1] Ms. om. — [2] In ms. praec. 'et'. — [3] Masc., sc. episcopis. — [4] μᾶλλον. — [5] σχῆμα. — [6] Sc. militis. — [7] γένος. — [8] χειροτονία.

communicavit, et, ut fertur, synodicon etiam alter ad alterum ut patriarchae Antiochiae et Alexandriae fecerunt. Quamobrem, cum omnes se magnum opus secundum canones et[1] ecclesiae Syriae et Alexandriae unionem et confirmationem praes-
5 titisse et effecisse opinati essent, ea[2] ratione quod Alexandrinis nescientibus episcopus ab eis creatus est, quod non oportebat, omnibus in contrarium evenit, tum toti ecclesiae Orientis, tum per totam terram Aegyptiorum, et in tentationes et tumultum et contentiones et discidia et dissensiones, et in cau-
10 sam malorum facta est, tum omnibus personis[3] unicuique eorum singillatim, tum praeterea et populo etiam clamoso (?)[4] Alexandrinorum ut ad procacitatem et immanitatem ordine ac mensura carentem pervenirent.

Caput XI, de eis quae procaciter et immaniter et tumul-
15 tuose et contra omnem ordinem canonicum ab Alexandrinis etiam post haec perpetrata sunt, et de ordinatione Petri. — Cum igitur Longini litteras et episcoporum qui cum eo *erant* itemque ipsius Theodori de omnibus quae ab eis perpetrata sunt Alexandrini tandem accepissent, qui Theodorum ab eis
20 patriarcham factum esse indicabant, qui ipse etiam * epistulas synodicas[5] ad eos contexuit, quae primo de fidei veritate et ceteris rebus idoneis docebant, quae ut ad ecclesiam suam iam scribebat, purgatione etiam facta, « Propter timorem eorum qui potestatem tenent et ne turba excitaretur urbem non intra-
25 vimus nec secundum ordinem canonicum sententia[6] et psephismate vestro omnia facta sunt », et cetera multa[7]. Quamobrem, cum cleri principes quorum supra etiam mentio facta est[8] et ceteri reliqui haec didicissent, turbati et agitati sunt, et de omnibus rebus quae factae erant ira incitati sunt, itemque ce-
30 terum omnem clerum etiam incitaverunt et impulerunt et agitaverunt, eosque ad violentiam et immanitatem barbaram contra Longinum et Theodorum quem creavit adduxerunt, et in Paulum cuius causa praecipue adeo immaniter tumuerunt et ceteri qui cum eis *erant*, eosque respuebant et contumeliis adfi-

* p. 192.

[1] Inserendum fortasse 'in'. — [2] Ms. praef. 'et'. — [3] πρόσωπα. — [4] *Ps.* CXIV, 1. — [5] συνοδικῶν. — [6] γνώμη. — [7] Ita clausula sine verbo principali relicta est. — [8] P. 140.

ciebant et repudiabant, et turbas ac tumultus contra eos in ecclesia et in urbe faciebant, et vocibus carminum inordinatis dicebant, « Nos omnes nunc una statim conveniamus ut papam nobis hic ipsi seorsum sine mora creemus », cum hi stercora[1] (?) etiam excitarent et turbas facerent, ut unum eorum Andronicum supradictum[2] crearent, ut ipsi exinde ut dictum est dominanter et principaliter dominarentur, et omnia munera ecclesiae Alexandriae gererent. Et, cum nec clerum nec cives eum approbare nec gratum habere vidissent et cognitum esset, quoniam paulo ante et daemon etiam ut dicitur in eo apparebat, deinde etiam se dehinc fieri recusare prae se tulit. Quamobrem cum se hoc consilio lapsos esse vidissent, nec fieri exinde posse ut unus eorum *patriarcha* fieret, astutia * dolosa id egerunt ut aliquem contemptum et vilem crearent, id agentes ut nomen et habitum[3] tantum teneret, cum ob inscientiam et simplicitatem ab omnibus negotiis remotus esset et ab omnibus quae tali fastigio congruunt, *ita* ut ipsi etiam ei imperarent eumque versarent et dirigerent, neu is eis imperare posset; quod etiam perpetraverunt et perfecerunt, et senem quendam diaconum de mediocribus, virum simplicem et idiotam cui nomen Petrus elegerunt et in medium adduxerunt, qui etiam in comitatu[4] beati Theodosii in exsilio[5] eius fuerat. Et, cum hunc elegissent quem crearent, unus tantum episcopus eis aderat, cui nomen fuit Iohannes, cui etiam crimina canonica impendebant. Quamobrem, cum in angustum venissent, duo episcopi peregrini confestim ingressi sunt qui quondam a beato Iacobo ut Syriae creati erant, quorum amborum nomen fuit unum Antoninus et Antoninus; quos vi corripuerunt, et dictum Petrum diaconum episcopum secundum eodem tempore in throno[6] creaverunt postquam litteras synodicas[7] Theodori prioris receperunt; et, cum non ordinatim ac canonice iudicassent et inquisissent an ordine et recte et utrum secundum canones an contra canones prior factus esset, stomacho acerbo et obligationibus iniquitatis[8] excitati, cum ira eis imperaret et procacitas immanis eos impetu barbaro dirigeret, episcopum secundum in eadem sede

* p. 193.

[1] κοπρίας (?) — [2] In parte perdita. — [3] σχῆμα. — [4] συνοδία. — [5] ἐξορία. — [6] θρόνιον (sic). — [7] συνοδικῶν. — [8] *Act.*, VIII, 23.

propter stomachum contra priorem *conceptum* creaverunt et constituerunt et nominaverunt, in perturbationem et confusionem et discidium et contentionem totius ecclesiae; quod iam reapse constat et apparet secundum delectationem et voluntatem * diaboli factum esse, qui ea operatus est et perpetravit. *p. 194.
Et ut pharaonii et populus clamosus (?)[1] elati sunt et in tantam confusionem et perturbationem et barbariam pervenerunt ut nullum ordinis consilium in mentem acciperent, nec iudicarent et inquirerent utrum recte an non recte ut exspectavit[2] factus esset prior quem factum esse didicerant; et deinde in tantam immanitatem barbaram pervenerunt, ut alium praeter eum constituerent, cum praeterea impetum immanitatis suae frenis timoris Dei non refrenassent, et de malis et discidiis et contentionibus et dissensionibus et certationibus et turbis quae in ecclesia Dei ex hoc orturae erant in se ipsis considerassent; quod iam ut consilium inierant visum et factum et completum est. Et malum hoc et certatio et bellum inter duas partes nunc usque obtinuit, qui[3] sunt anni plus minus octo ab illo tempore. Quae lamentationibus prophetae maesti Hieremiae egent, ut eis lamentatio de eis fiat, de bellis quae fuerunt et de malis quae germinaverunt, de odio quod praevaluit, de inimicitia implacabili quae corda multorum obscuravit, ne tot mala considerarent, et contumeliis et vituperiis et incusationibus acerbis mutuis temperarent.

Caput XII, de eodem argumento, eius quod, cum ab eis non ut ab ordinatis iudicatum et inquisitum esset an recte vel ordine prior factus esset, ipsi secundum fecerunt. — Quemadmodum igitur ei qui oculis debilis et hebes est non facile est bene videre et solis radios intueri, itemque nec *is* etiam qui febri vehemente inflammatur * opus ullum quidquid sit ut sanus patrare potest, ita et ei etiam qui stomachi passione rapiuntur et ad impetum zeli irae trahuntur rectum iudicare et inquirere et deinde opera sua patrare nequeunt, itaque nec ei etiam qui stomacho ebrii sunt et ira ac zelo perverso conturbantur honestum quidquam omnino cogitare et patrare possunt. Hoc *p. 195.

[1] *Ps.* cxiv, 1 (cf. p. 143). — [2] Sc. Theodorus ut facerent, sed clausula difficilis est. — [3] Sic.

viris sapientibus clericis alexandrinis facto accidit, qui nec scientia inopes erant, nisi faex irae eos commovisset et stomachus eos conturbasset, et ad verbum scripturae recciderunt quod de eis dicit qui inter fluctus ventis et procellis agitantur, « Moti sunt et vacillaverunt sicut ebrii, et omnis sapientia eorum periit »[1], quemadmodum nunc in eis quae ab eis contra ordines ecclesiasticos confestim et immaniter patratum est[2], quod, cum eius qui a viris orthodoxis[3] et qui ~~cum~~ eis communicabant eis episcopus factus erat epistulam synodicam[4] accepissent[5], etsi quem, ut ei improbaverunt, psephismate eorum fieri tempus non sinebat, propter hoc in omnem bestialitatem venerunt, ita ut stomachi impetu perturbati delictum obducerent propter quod ⌈in causa eorum[6] qui ut arbitrati sunt transgressi sine psephismate eorum primum fecerunt ipsi ut ⌈sapientes ut putant[7] Petrum secundum correptum eodem tempore in eadem sede fecerunt. Quod si igitur[8] eis rectum fuisset tanto tempore decem annorum quod post mortem beati Theodosii intercesserat hoc[9] sine contentione facere et sibi episcopum instituere, nec[10] postquam Theodorum primum eis factum * p. 196. esse didicerunt, facto * psephismate irae et in contentionem et rixam et in ecclesiae discidium, Petrum secundum correptum fecerunt[11], ita ut statim a quibusdam adulter existimaretur, qui ingressus in adulterium cum uxore socii sui inciderat.

Quamobrem porro studio suo ei qui extra legem[12] et extra ordinem canonicum ab eis secundus factus erat ita extra leges[12] ecclesiasticas in confirmationem eius persuaserunt[13] ut ipse surgeret et episcopos septuaginta ut fertur numero faceret; quod[14] si quis quisquis esset operarios[15] terrae colendae causa quaereret, ei difficile esset tot simul paratos invenire et congregare; et quid nobis dicendum est de eis qui gregem Christi rationalem pasturi eliguntur, de quo beatum Petrum pascere iussit[16], itemque secundum mandatum et doctrinam apostolicam ad Ti-

[1] *Ps.* CVII, 27. — [2] Sic contra grammaticam. — [3] ὀρθόδοξοι. — [4] συνοδικῶν. — [5] Ms. om. — [6] Corrigendum fortasse 'propter eos'. — [7] Ms. 'putant et ut sapientes'. — [8] ἄρα. — [9] Ita 'quod' antecedens iteratur. — [10] Clausula aliter continuatur. — [11] Sic sine grammatica. — [12] νόμος. — [13] Litt. πεῖσαι fecerunt (?). — [14] Sic sine grammatica. — [15] ἐργάται. — [16] IOH., XXI, 17.

motheum ut electione et inquisitione et cognitione multa sacerdotes tantum faciat[1] (?) et quanto magis dicendum est principes sacerdotum? Sed, sicut initium rei turbatum et tumultuosum et contra omnem honestatem fuit, ita et finis eius, ita 5 ut nec ita ab impetu cursus vehementiae et immanitatis se contineret, et mansuetudinem et humilitatem Christi indueret, sed eum procaciter impulerunt ut ad schisma etiam inter ecclesiam Syriae et Alexandriae *faciendum* festinaret, et depositionem[2] Pauli, qui mandato beati Theodosii patriarcha Antio- 10 chiae factus erat, indebite et contra canonem dum abest susciperet, nec *id* solum, sed et in Iacobum episcopum Syriae vituperationes emitteret, et has non simpliciter, sed et in epistula sua ipsius * encyclica *eas* fecit et in omnes partes misit, in qua, inimicitiae et odii antiqui causa quod contra Paulum habe- 15 bant, libellum[3] etiam calumniarum et caedium et mendacii addidit, tamquam ipse Paulus et alii cum eo fecissent et Synoditis obtulissent; qui etiam ab eis qui calumnia adfecti erat anathematizatus est in ipsa defensione quam de hac *re* ad totam ecclesiam fecerunt et auctores et calumniatores anathematiza- 20 verunt et se ipsos, si fecissent vel id omnino clam aut palam conscirent vel factum nossent.

* p. 197.

Caput XIII, de eodem Theodoro primo qui nolens vi creatus est. — Ne quis igitur eorum qui commentaria harum memoriarum a nobis *facta* legent[4] aut nunc aut posthac, quae de 25 hac re tumultuosissima perscribuntur, ea calumniarum causa vel supervacuo vel contra omnem veritatem a nobis perscripta esse putet, vel unam partem iustificare volentibus et aliam vituperationibus aspergere gestientibus, sed nos eorum quae nunc temporibus nostris anno videlicet 886 Alexandri et dein- 30 ceps patrata sunt pauca de multo sine additione perscribere. Nos vero nihil omissuros non pollicemur; quoniam turba et confusio magna et inordinata est, quae operatione homicidae[5] patrata est, quae paucis eorum exemplis tantum tractare valemus, dum omnia a nobis in parte tumultuosa et confusa[6] col-

[1] I *Tim.*, III, 2-7, V, 22. — [2] καθαίρεσις. — [3] λίβελλον. — [4] Ms. om. — [5] Sc. Satanae. — [6] Sc. 'in numero rerum confusarum'.

locantur. Theodorus vero supradictus, qui Alexandriae episcopus primus a Longino et ceteris nolens factus est, cum Alexandrinos ad tantam procacitatem et immanitatem pervenisse di-
* p. 198. dicisset * ut eum vel epistulas eius non reciperent, sed et Petrum supradictum post eum in vicem eius contra omnem ordinem canonicum fecerint et instituerint, ipse ad quietem rediit et ad[1] normam habitus[2] sui prioris mansit, eis quae gesta sunt nihil omnino perturbatus, dicens, « Mea causa nec discidium nec contentio fiat. Mihi enim nihil curae est, nisi ut in quiete animae meae sim, sicut etiam hactenus eram ». Itaque in praesens mansit, haud perturbatus. Tandem vero multi post eum declinaverunt, tum in urbe tum in desertis, et in Aegypto et in Thebaide, et assessores[3] etiam nomine suo fecit, et ordinationes[4] faciebat.

Caput XIV, de Paulo patriarcha cuius supra mentio facta est, et de opinione vana quae de eo fuit et de depositione[5] eius quae extra ordinem a Petro facta est, qui et ipse etiam intempestive ordinatus est. — Cum igitur in libro II° de lapsu in quem spe unionis beatus Paulus et socii eius incurrerunt fuse narravimus[6], nunc ut de opinione vana in quam Alexandrini incurrerunt narremus et perscribamus[7], qui impetu immani Petrum secundum in throno[8] ecclesiae suae instituerunt, eum videlicet cum episcopis suis, regionem Libyae ingressum, Theodorum cum Longino creasse, quod vanum et falsum est. Longinus enim in epistula quadam sua, cum hanc opinionem reprimeret, defensionem iuramentis multis fecit, eum Theodori ordinationi non adfuisse, nec eo jubente vel sciente eam factam esse[9].

* p. 199. Ei autem eo impetu suo immani * hac, ut adfirmabant, de causa *id* effecerunt ut Petrus depositionem[5] eius audacter et extra ordinem canonicum faceret, cum eius ipsius sacerdotium, quod ad canones attinet, controversiae obnoxium et dubium et parum firmum adhuc esset, et per irae impetum barbare et

[1] Sic. — [2] σχῆμα. — [3] συγκρίται. — [4] χειροτονίας. — [5] καθαίρεσις. — [6] I, xxiv seqq. — [7] Sc. tempus (aut opus) est, quod incuria om. est. — [8] θρόνος. — [9] *Doc. Monoph.*, p. 241, 243.

contra ordinem canonum ecclesiasticorum factum esset, et secundus in eadem sede postquam alius in ea nominatus est extra legem[1] institutus esset. Necnon vero contra beatum Iacobum vituperationes composuerunt, nec simpliciter, sed etiam in lit-
5 teris et in epistula encyclicarum, hoc est circularium. Et haec *fecerunt*, cum personae[2] abessent, nec secundum canonum sanctionem vocatae essent et praesentes coargutae et deinde munere amotae secundum vim operationis suae. Et en! ex illo iam tempore discidium et contentio acerba inter Syriam et Alexan-
10 driam procaciter facta et parata et constituta est, et dissensio acris ob passionem inimicitiae antiquae et stomachum acerbum quem antea contra eundem Paulum habebant.

Caput XV, de dissensione et contentione quae operatione Satanae inter Iacobum et Paulum contra normam recti facta
15 est. — De hoc sene Iacobo *res* extranea et longinqua non fuisset de eo et de simplicitate et innocentia eius dicere id quod de fratribus, discipulis videlicet, sanctis qui diebus beatorum apostolorum *erant*, scriptum est, « Sinceritate cordis sui laudabant Dominum »[3]. Sic igitur et hic etiam praeter simplicitatem
20 et innocentiam suam tum zelo etiam spiritali tum et certaminibus[4] et laboribus ecclesiasticis a pueritia sua ad senectutem ornatus erat, cum ab aliis qui ei adhaerebant astutis ac callidis[5] et operam dabant ut eum * ut ipsi volebant versarent, ut in eo et eius praetextu ipsi cunctas voluntates suas perfice- * p. 200.
25 rent. Quamobrem ipse senex ab eis huc et illuc infantiliter et innocenter trahebatur, et ducebatur et versabatur, sicut in causa etiam Pauli, qui primo ab eo cum ceteris aliis in Antiochia magna patriarcha factus erat, eorum videlicet et supra eos, ita ut postea libere et sine consilio eius res facerent, et *id*
30 etiam postquam eum creavit. Quamobrem, cum tandem ab aliis vituperarentur « Extra sententiam[6] patriarchae vestri non debetis quidquam gerere »[7]; quod cum multi eorum audirent, multum eos irritabat hoc dictum, eisque plane displicebat, nec

[1] νόμος. — [2] πρόσωπα. — [3] *Act.*, II, 46. — [4] ἀγών. — [5] Sc. traheretur, quod aut excidit aut incuria om. est; cf. l. 26 et p. 151, l. 28). Pro 'et' legendum fortasse 'qui'. — [6] γνώμη. — [7] Clausula interrumpitur et aliter continuatur.

ita quidem sibi temperabant quin omnia secundum voluntates suas gererent, et haec cum tempus aliquantum ita gererentur. Postea autem unionis causa vocatus est Paulus cum ceteris aliis ut ad urbem regiam advenirent, qui, cum advenissent et ingressi essent et a rege recepti, varietatibus multis *per* tempus prolixum quod duo annos excedebat multa *et* innumera loquebantur, quorum exempla aliquot in libro II° qui hunc antecedit rettulimus[1], nunc autem id[2] cito transire nobis placuit. Tandem vero Paulus et tres alii qui cum eo *erant*, iuramentis et professionibus a potestatibus de causa unionis *factis* confisi, ob spem unionis lapsu malo communionis Diphysitarum implicati sunt. Et, cum multa *et* infinita quae antea *narrata sunt* interea dicta et gesta essent, et omnes in exsilium[3] pulsi essent, deinde Paulus, * vita sua contempta, cum a domo episcopii effugisset et a manu inimicorum evasisset, ad regiones Syriae festinavit, et ad synodum orientalem libellum[4] paenitentiae, haud unum tantum sed et duo, fecit. Et tempus plus minus trium annorum supplicabat, et deinde ab ipso beato Iacobo et synodo eius recte et secundum ordinem canonicum communione receptus est.

* p. 201.

Itaque huc ad urbem regiam et Antiochiam et ad ceteras regiones Iacobus epistulas multas scripsit: « Ita noveritis, nos beatum patriarcham nostrum Mā r Paulum communione spiritali recepisse, et una *ad altare* accessisse. Et quicunque eum recipit nos recipit; et quicunque eum non recipit nos non recipit ». Et post paulum rursus operatione mali causae diversae inter eos motae sunt, quae propter habitus[5] honorem a nobis silentio operiuntur.

Itaque dissensio et odium inter duas partes tempus aliquantum permansit, et de eis quae tumultuose et turbate Alexandriae facta sunt ambae partes vituperantur, et praesertim beatus Iacobus, qui in omnem locum contra Petrum secundum quem ibi creaverunt scripsit, « Gaianus novus in ecclesiae confusionem Alexandriae factus est », quemadmodum ad parvitatem etiam nostram cum multis epistulas tres eodem argumento scripsit.

[1] I, XIX-XXIV. — [2] Sic. — [3] ἐξορία. — [4] λίβελλον. — [5] σχῆμα.

Caput XVI, de depositione[1] Pauli *quae* a Petro *facta est*, qui secundus factus erat, contra ius et contra omnem ordinem canonicum ecclesiae. — Petrus vero quem etiam quidam ut in eo voluntatem suam, ut ita dicamus, conficerent ac peragerent, sicut imaginem in pariete descriptam adsumpserunt et * episcopum Alexandriae fecerunt postquam alius ante eum factus est[2], nec id eis suffecit, ut, cum ordinatio[3] eius contra legem[4] et dubia et parum firma esset, homines innumeros, sive pueros sive senes, congregaret et arcum septuaginta episcoporum extra ordinem faceret, cum cetero clero, sed et ad factum aliud immane eum adduxerunt, ut ad discidium ecclesiae Syriae et Alexandriae festinaret, et depositionem[1] Pauli Antiochiae contra legem[4] et contra ordines et canones ecclesiasticos tyrannice suscipere auderet, cum ipse contra legem[4] ordinatus esset; nec hac audacia contentus fuit, sed, ut in eum turbam et odium et vituperationes excitarent, libellum[5] etiam contra eum itemque contra alios criminationum mendacium composuit, et audacia et opere tyrannico et huiusmodi factis arrogantibus viro ebrio qui vomitione sua sine ratione errat similis fieret[6], eorum instigatione qui ut imaginem[7] eum statuerunt, et haec epistulis *a se* missis inseruit et in omnem locum misit. Et cetera huiusmodi quae ecclesiae discidia generaverunt et contentiones multas auxerunt, et confusio infinita inter Syriam et Alexandriam procaciter et immaniter facta est.

* p. 202.

Caput XVII, quomodo beatus Iacobus tandem Alexandriam intraverit, et de ceteris quae ab eo gesta sunt. — Cum vero senex sincerus Iacobus, ut supra rettulimus, a *viris* vehementibus qui ei adhaerebant traheretur, qui operam dabant ut ⌜odio suo[8], quod homicidae[9] operatione * contra Paulum fuit, occasionem et exitum invenirent, tum exinde ut senex Alexandriam intraret eum inducebant, quasi persuadentes (?)[10] ut inter Alexan-

* p. 203.

[1] καθαίρεσις. — [2] Clausula interrumpitur et aliter continuatur. — [3] χειροτονία. — [4] νόμος. — [5] λίβελλον. — [6] Sic:, contra grammaticam. — [7] Ms. 'haec' (ex infra); e l. 5 correxi. — [8] Ms. 'curationi suae'. — [9] Sc. Satanae. — [10] Coniectura dubia. Lectio ܦܝܣܝܢ (πεῖσιν) p. 146, l. 26 etiam occurrit, qua ܦܝܣܐ (πεῖσαι) conieci. Hic Mich. etiam (p. 357 b, l. 3) ܦܝܣܝܢ habet; vide not. ad textum.

drinos et Syriam unionem efficeret, cum Alexandrinis contra Paulum ob causam invidiae odium antiquum et inimicitiam implacabilem esse semper scirent. Senis autem simplicitatem adducere potuerunt eumque trahere et Alexandriam quasi furtim introducere, cum multi qui eum ingredi paratum esse didi- 5 cerant scriptis eum adiurassent ne solus temere Alexandriam intraret, ne horum odio deceptus et adductus inter Aegyptum et Syriam discidiorum ac contentionum incrementa fieret[1], et mali auctus incresceret.

Cum autem non obtemperassent[2] eumque traxissent et Alexan- 10 driam introduxissent, et in medium populum clamosum (?) ut scriptum est[3] incidisset, deinde eum subegerunt ut inconsulte Petri communioni se submitteret, qui ab eo litteris et extra litteras contumeliis laceratus erat et Gaianus novus ab eo vocatus erat, qui in confusionem ecclesiae Dei ordinatus esset. Nec- 15 non eum *ita* subegerunt et demiserunt ut libellum[4] etiam faceret habitu[5] scilicet scripti unionis, et ei offerret quem vituperabat et contumeliis lacerabat et dicebat: « Nec *quidquam* est nisi velut adulter qui socii sui uxorem rapuit eamque adulterat, qui alio orthodoxo[6] itemque ab orthodoxis[6] ante se ordi- 20 nato et nominato ⌜post eum ordinatus est,⌝[7] » et[8] hi quasi propter Pauli odium et ut eius excommunicandi et amovendi occasionem invenirent, oculis contra omnia quae ex omnibus rebus *orta erant* occaecatis, ad Petrum Gaianum novum qui ab eis ita lacerabatur conversi, omne ius ut dictum est conculcave- 25 *p. 204. runt, *et omnem canonum transgressionem cuius antea Petrum accusabant nihili fecerunt, eique in omnibus *rebus* consenserunt, et omnem legis[9] canonicae transgressionem ab eo factam comprobaverunt, et praesertim Pauli patriarchae Antiochiae depositionem[10] quae audacter et tyrannice et contra 30 omnes regulas canonicas cum abesset a Petro et sociis eius facta erat antequam Iacobus et socii eius ad eos ingrederentur. Quod cum audivissent, gavisi sunt et passio odii eorum adlevata est quod in factum exierat, et[8], quamquam per alios facta est, eis grata fuit et valde placuit, pro eo quod iugum patriarchae 35

[1] Sic. — [2] Legendum fortasse 'obtemperasset'. — [3] *Ps.* CXIV, 1 (cf. p. 143). — [4] λίβελλον. — [5] σχῆμα. — [6] ὀρθόδοξος. — [7] Ms. 'et post eum quod intellegi non potest. — [8] Ms. om. — [9] νόμος. — [10] καθαίρεσις.

sui Pauli a collo suo sublatum esse putaverunt; qui et eam etiam scripto comprobaverunt. Senex vero Iacobus preces obtulit ut sine decreto anathematum depositio[1] fieret.

Caput XVIII, quomodo beatus Iacobus et episcopi alii qui 5 cum eo *erant* Alexandria exierint. — Cum igitur beatus Iacobus et qui cum eo *erant* rem tumultuariam Alexandriae perfecissent, quae toti ecclesiae quae in Syria *erat* causa subversionis et confusionis et discidii et contentionis fuit, cum omnibus quae a Petro *facta sunt* consensissent et ea comprobassent, tum, 10 cum inde exirent, eum rogaverunt ut ex eius episcopis tres cum eis ad Syriam exirent, subversionem quae ab eis facta est testaturi et confirmaturi. Itaque omnes una profecti sunt, ita ut tota Syria, ut ita dicamus, ingressu[2] eorum consternata et pavefacta sit. Quamobrem, cum de vi rei a se factae narrare in- 15 cepissent, et de depositione[1] Pauli quae contra ius canonum * ab eis facta est, dissensio magna et discidium statim et offen- * p. 205. sa totam ecclesiam fidelium quae ubique in tota Syria *erat* percurrit et occupavit. Multi enim ei quod a sene Iacobo Alexandriae factum est consenserunt, primo eius causa et quod 20 diu ei adiuncti erant, et secundo quod unionem plenam et perfectam Alexandriae factam esse putabant; alii autem se statim disiunxerunt et averterunt et totam rem ab eis ibi factam repudiaverunt, dum Iacobum et socios eius vituperant et contra eos murmurant, primo quidem[3] quoniam ipse Petrum vi- 25 tuperaverat et contumeliis laceraverat et eos qui eum creaverunt, et eum Gaianum novum vocaverat quem[4] Alexandrini in ecclesiae confusionem creassent et qui contra canones ordinatus esset, et qui nihil esset et sacerdotio alienus, et adulter, post haec autem omnia ingressus ei qui ab eo reprobatus et la- 30 ceratus erat consensit et se submisit et cum eo communicavit, haud simpliciter, sed cum et libellum[5] ei obtulisset, quem episcopi tres qui cum eo profecti erant portabant et multis clam ostendebant, dicentes, « En! libellus[5] quem pater Iacobus fecit et papae Petro obtulit ». Et hoc furtim *faciebant*, cum ille et 35 qui cum eo erant libelli[6] typum[6] esse quem fecerunt non suspi-

[1] καθαίρεσις. — [2] Ms. 'exitu'. — [3] Ratio secunda non datur. — [4] Ms. om. — [5] λίβελλον. — [6] τύπος.

carentur, sed « Scriptum unionis fecimus »[1] quem nisi propter prolixitatem narrationis ipsum etiam hic in seriem *operis* inseruissemus.

Caput XIX; de dissensione et contentione et discidio quae non solum in Syria, sed etiam in Cilicia et Isauria et Asia et Cappadocia et Armenia, et praesertim in urbe regia et ceteris locis facta sunt. — Dolor igitur etiam dolori, et clades cladi *p. 206. * addita est, itemque hoc tempore anni 887 totam ecclesiam fidelium in omnibus regionibus supradictis quae persecutionem et vexationem patiebatur consecuta est, per dissensionem et contentiones et discidia et passiones et mala, quae[1] inter Iacobum et Paulum germinavit et dilatata est[1] et sine timore Dei amare serpsit[2]. Utrique enim eorum episcopi adhaeserunt, et clerici et coenobia monasteriorum magna et parva, et populus reliquus ecclesiarum qui in urbibus et in pagis regionum *erat,* dum factio utraque contra alteram in iniuriam et calumniam et contumeliam et probra mutua impulsibus immanibus *et* effrenatis prorumpit, et se invicem calumniantur et accusant, et populum dividunt, et ecclesiam alteros in alteros scindunt, et coetus dilacerant, ita ut socium suum quisque eorum declinet et ab eo seiungatur, et suam ipsius partem magnificet, et unusquisque eorum per homines suae ipsius partis quantum *fieri* potest multos dividit et offendi facit et scindit et ad se trahit. Itaque, cum partes ambae ita spiritu contrarietatis repletae et excitatae essent sine ordine et iudicio timoris Dei ut horum malorum eos paeniteret, et ecclesiae Dei discidio et turbatione et confusione desinerent[3], sed et ad hunc gradum odii homicidalis et inimicitiae et contumeliae et probrorum mutuorum eos excitavit is qui 'expetivit ut cribraret eos ut grana tritici'[4], et ad derisionem et convicia mutua, quemadmodum non in paganos nec in Iudaeos vel in haereticos ne is quidem qui valde immanis et bestialis *est* loqui et deridere auderet, et haec quamquam fidei ratione discrimen et offensa inter eos non erat.

[1] Sic. — [2] Sc. ut ulcus. Litt. 'νομὴν cepit'. — [3] Clausula aliter continuatur. — [4] Luc., xxii, 31.

* CAPUT XX, de nuntiis qui a Paulo patriarcha ad Iacobum mittebantur de inquisitione et cognitione canonica eorum de quibus eum criminabantur. — Cum igitur ad tantam procacitatem et immanitatem inordinatam pervenissent, nec hae duae personae[1] Paulus et Iacobus tantum, sed et factiones quae utrumque sequebantur, tota Syria et ceteris regionibus iam divisis et scissis et confusis et perturbatis, cum pars Iacobo et omnibus quae ab eo Alexandriae facta sunt adsensi essent et ea accepissent, itemque alii Paulitis adhaesissent, qui Iacobum et quaecunque ab eo Alexandriae facta sunt improbaverunt, vituperantes et dicentes, « Omnia extra ordinem canonicum fecit », et praesertim coenobia magna et cetera, et, cum haec adeo bestialiter et immaniter inordinate ubique obtinerent, Paulus ad Iacobum nuntios semper mittebat per multos, « Quare tanta perturbatio in ecclesia Dei facta est? Alter cum altero conveniamus, et quae inter nos *stant* canonice et legaliter cognoscantur. Et, si ego secundum canones uno iudicio et canone damnatus ero, tres accipiam; et, si contra in te damnatio reccidet, ita etiam ego pro te accipiam ». Qui autem senem sincerum Iacobum circumstabant eum omnino flecti eumque videre et cum eo colloqui adnuere non sinebant. Sciebant enim se ante eum stare non posse, et sciebant eum primo verbo et secundum aequitatem eos damnaturum[2] fuisse.

Dicebat autem Iacobus, « Ego Alexandrinis consensi et eos accepi, et scripto unionem[3] cum eis feci, nec eis aversabor; et sine eis me non videbit, nec ego eum videbo ».

* p. 207.

* CAPUT XXI, de zelo et studio Mondir filii Ḥārith regis Ṭayāye. — Mondir vero etiam filius Ḥārith rex Ṭayāye, vir fidelis et zelosus et studiosus, diu ambas partes adhortari et obsecrare perstitit, ut, ira ac pugna omissis, inter se convenirent, et colloquerentur et inter se pacem facerent, nec Iacobitae ei obtemperaverunt, cum ipse Paulus ipsum Mondir et multos obsecraret ut de eis quae a Satana inter eos commota erant quaestio et cognitio fieret.

* p. 208.

Et, quoniam diu et a diebus Ḥārith patris eius senem Iaco-

[1] πρόσωπον. — [2] Aut 'superaturum'. — [3] Ms. om.

bum ut virum magnum habuerant, itemque tandem et Paulum etiam, et cum ad tantam procacitatem et immanitatem et discordiam inter se pervenissent, nec Iacobitarum pars leniri adnuissent, facta est exinde in omnibus etiam exercitibus Ṭayāye discordia, cum multi eorum offensi essent, et pars Paulum et 5 pars Iacobum secuti essent.

Caput XXII, de Longini et Theodori, quem papam fecit, ad regiones Syriae et ⌜ad partem[1] Paulitarum descensu. — Ob causam igitur eiusdem rixae et turbationis quae ubique obtinebat, et praesertim in tota Syria, Longinus et socii eius et 10 Theodorus qui ab eis patriarcha factus erat, ad regionem Aegypti profecti, inde etiam ad regiones Syriae orientales et ad Paulitas descenderunt, ut una cum Iacobitis causam agerent, et, si possent, contentionem et malum quod a malo inter eos *p. 209. commotum erat dissolverent. Tum Theodorus *in urbe Tyro 15 otiosus manebat, Longinus autem usque ad castra[2] tribus Ḥārith filii Gabhalā ad Mondir filium Ḥārith descendit; et, cum sermones cum eo contulisset eumque totam veritatem accurate docuisset, rex Mondir eos congregare et ad pacem adducere rursus studuit; cui Iacobitae omnino non obtemperaverunt, sed tandem concilium in monasterio domus Mār Ḥaninā in deserto fecerunt, populum haud exiguum de parte Iacobitarum, et ipsum *Iacobum* cum eis; et episcoporum quidam cui nomen Iohannes, qui in eo et ex eo coenobio erat, ad Longinum et socios eius dolose ⌜missus est[3], « Quoniam senex Mār 25 Iacobus huc venturus est et tecum colloqui quaerit, statim profectus huc veni; et nos tres ego et tu et is soli aderimus et colloquemur ut contentionem dissolvamus, et turbationem tollamus ». Quamobrem, epistula huiusmodi recepta, Longinus alacriter surrexit, et cum aliis profectus est, et illuc pervene- 30 runt. Et, cum ingressi essent, eum duxerunt, et introductum in medio concilio haud exiguo monachorum et laicorum et scholasticorum et ecdicorum et comitum[4] eorum[5] et ceterorum constituerunt. Et, cum Longinus gregem[6] vidisset, ad Iohan-

[1] Ms. 'in parte'. Vide l: 12. — [2] Ḥirthā (vide p. 131, n. 1). — [3] Sic textus, sed requiritur 'nuntium misit'. — [4] τάξις. — [5] Ms. 'eius'. — [6] φατρία (Schönf.).

nem qui eum invitavit dixit, « Quid est dolus quem mihi fecisti, et mihi mendacium scripsisti. ‘ Senex solus hic est, et veni ut nos tres colloquamur ’? Ubi est senex, et quid est hoc concilium? ». Qui cum haec dixisset, monachorum quidam,
5 charta[1] quae contra eum *scripta erat* prolata, dixit, « Cape hanc *et* lege, et de ea responsum da ». Is autem respondit, « Ego nunc, quia dolo et mendacio invitatus sum, nec legam nec responsum cuiquam dabo ». Tum, cum exire intendisset, manibus ei iniectis eum adprehenderunt, dicentes, « Nisi lege-
10 ris, non exibis. Sin autem, nos eam legemus, et audi ». Qui, cum legere incepissent, digitos * in aures ambas iniecit ne audiret. * p. 210.
Et, cum eum huc et illuc trahere incepissent, clamare incepit: « Vae! regem[2] habeo. Cur dolo occidor? ». Et, cum seditio[3] facta esset et iurgium ortum esset, et perturbatio inordinata
15 ibi commota esset, et caedis scelus paene fieret, tum, dum ‘ vae! ’ clamat, sese extraxit, et de medio eorum exiit, et e manibus eorum evasit et effugit, cum Iacobum non vidisset. Et multa huiusmodi mala operatione manifesta daemonum inter eos in omni [loco] facta sunt[4].
20 [Et, cum Longinus annum unum in Syria complevisset nec profecisset, ad Aegyptum reversus est.

(Fragmenta capitum xxiii-xxix.)

Petrus[5] vero annis tribus completis mortuus est. Alexandrini autem stomacho acerbo Theodorum accipere noluerunt, sed vi-
25 rum cui nomen Damianus constituerunt, qui genere[6] syrus erat; qui ei quod fecit Petrus adsensus est, et epistulam synodicam[7] encyclicam ad Iacobum fecit, et Iacobus[8] etiam eadem accuratione et unione responsum ad Damianum misit.

Et syncelli[9] Iacobi, Sergius et Iulianus[10] episcopi[9], ad ur-
30 bem regiam ascenderunt, et partem Paulitarum cum contume-

[1] χάρτης. — [2] Hoc vix sanum est. Mich. (p. 357b, l. 32) idem habet, sed in textu eius ܡܠܟܐ sine puncto diacritico scr. est, et Chabot ‘consilium’ vertit. — [3] στάσις. — [4] Finis capitis, capita xxiii-xxix et initium cap. xxx perdita sunt. Lacuna partim e Mich., II, p. 325, 332, 336 suppleta est. — [5] An haec statim sequantur incertum est. — [6] γένος. — [7] συνοδικῶν. — [8] Haec de Ioh. diserte citantur. — [9] Text. sing. — [10] Text. ‘Yaminā’.

*p. 211. liis calumniari inceperunt. Et *primores nonnulli qui Paulo valde devincti erant, Iacobi partem aversati, se Pauli parti adiunxerunt. Et *per* tempus anni totius alteri alteros probris[1] et conviciis aspergebant. Et Alexandrini qui ad urbem regiam ascenderant factis conciliis Paulitas insectabantur. Et pars 5 conciliorum Iacobi nomine congregabantur, et pars Pauli nomine, et pars nomine Petri utebantur. Et contentio[2] in urbe regia facta est, donec eis qui nos oderant seu Chalcedoniis ludibrium facti sumus. Qui cum haec vidissent persecutionem in nos commoverunt[3]. 10

....

Caput XXX. — ....]
alteri [contra] alteros effrenate et inconsiderate cum omnibus daemonum suorum gregibus fidelium pernicie ac perturbatione gaudebat et exsultabat; quae lamentatione et adflictione 15 acerba suspiriorum digna erat, quae hoc tempore inter fideles in ecclesia Dei invidia et operatione diaboli commota sunt, et ab utraque parte effrenate perpetrabantur.

Caput XXXI, quomodo in coenobiis etiam plerisque magnis discidia facta sint, et, cum sibi ipsi adversarii facti essent, scis- 20 si sint et exierint, cum pars pro Paulitis starent, et pars pro Iacobitis. — Coenobia igitur magna et illustria in occidente et in oriente divisa et scissa et turbata sunt, et ad pugnas ac contentiones mutuas excitata sunt, adeo ut malum infinitum inter eos perficeretur, et caedes fierent, et multi a iudicibus com- 25 prehenderentur, et vinculis ligati et catenis vincti ad Antio- *p. 212. chiam magnam ducerentur et in carceres *inicerentur, et habitus[4] honoratus, qui honorate non servatus erat, vilesceret et a paganis et a Iudaeis et haereticis derideretur, cum viri senes monachi barbis longis et limbis fluxis *praediti* vinculis ligati 30 et catenis vincti in iudicium ducerentur, et speciem[5] quasi

[1] Text. sing. — [2] Text. plur. — [3] Quae ap. Mich. sequuntur ad ann. circ. 585 referunt et ipsi Ioh. vix ascribi possunt (vide p. 261, n. 1). Verba quae Mich. (II, p. 324) Ioh. ascribit, 'Servus Christi is esse non debet qui cum veritate dimicat' ex hac parte fortasse sumpta sunt. Cf. cap. xlv, xlvi. — [4] σχῆμα. — [5] δόκησις.

homicidae praeberent, et collaribus iniectis ante iudices starent et de caedibus interrogarentur. Et quis propter has res horribiles non contremat et plangat et lamentetur et ploratum sicut canis aurei faciat, et planctum ut filia canis aurei, propter sal quod non solum *sal* est quod insipidum factum est, sed et foetuit etiam et putuit itaque foras eiectum est et ab hominibus conculcatum[1]? Aliorum vero qui contra se invicem divisi erant pars altera in unoquoque monasterio in ipsis coenobiis manebat, altera autem quae egrediebatur ibant[2] et locum occupabant, et nomine coenobii unde exierant ipsum locum quem occupaverant nominabant, et ad inimicitiam mortalem mutuam effrenate et inconsulto se parabant.

Caput XXXII, de conciliis archimandritarum multorum, et de eis quae ad Iacobum et ad ceteros episcopos qui cum eo erant litteris miserunt. — Concilium rursus magnum archimandritarum multorum praeter alia concilia multa quae antea in locis diversis fiebant et[3] hoc *fuit* quod posterius etiam *factum est* in quo deliberatione facta contra Paulitas se paraverunt, et tres viros sollertes et disputationi aptos de se constituerunt, eisque epistulam[4] a se fecerunt et eos ad senem Iacobum et ceteros qui cum eo erant miserunt, eos per scriptum quod fecerunt incitantes et urgentes et adhortantes, quod nisi propter multitudinem * verborum et ipsum etiam perscripsissemus, quod postulabat ut sedulo surgerent et patriarcham in vicem Pauli eis facerent, eosque rogabat quid de ordinationibus[5] quas fecit Paulus, necnon et Tritheitae censerent et cetera. Cui senex etiam obsecutus est, et mandavit et concilium in domo Mār Ḥaninā factum est, et, cum de rebus loqui incepissent, episcoporum nonnulli se non accomodaverunt, dicentes « Paulus patriarcha vivit, nec canonibus damnatus est. Quomodo nos nunc, dum sicut infantes rationis expertes ludimus, patriarcham alium illo vivente creabimus, et sub poena canonica includemur ? ». Itaque, cum non adsensi essent, concilium irritum factum est ut non fieret (?), et dissolutum est.

* p. 213.

[1] Matth., v, 13. — [2] Sic. — [3] Clausula confusa. — [4] ἐπίσταλμον. Cf. p. 183, qua melius scribitur ἐπίσταλμα. — [5] χειροτονίας.

Caput XXXIII, quomodo senex Iacobus impetu repentino ad id incitatus sit ut Alexandriam ingrederetur, quo ipso itinere mundo exiit. — Postquam igitur quominus patriarcham crearent prohibiti sunt, beatum Iacobum cogitatio eius repente impulit et, episcopis et ceteris aliis octo secum adductis, cursum rapidum iniit ut Alexandriam ingrederetur. Et, cum multi multa de eo opinati sunt, pars eum ut ibi cum Damiano qui ibi ordinatus erat patriarcham crearet ingredi opinati sunt, alii autem eum ut cum Paulitis unionem faceret ingredi dicebant. Et, quoniam ipse consilium suum omnes celavit, studium eius accurate non cognitum est. Deus vero, cuius ante oculos nihil celatum est, et qui creationis suae adiumentum respicit, cum in via iter facerent, et ad monasterium magnum in limite Aegypti quod *monasterium* Casii vocatur pervenissent[1], tum ibi ut dicitur episcopus quidam de comitibus eius statim mortuus est, qui quidem monasterii * Qartamin archimandrita erat, et surrexit senex, et oblationem super eo in memoriam eius obtulit; itemque et syncellus eius etiam Sergius, qui ipse etiam episcopus ordinatus esse dicebatur, et statim aegrotavit et mortuus est; et postea et ipse etiam senex tres dies aegrotavit, et mortuus est; itemque post eum diaconus etiam eius. Hi omnes alius post alium repente intra duodecim dies mortui sunt, *ita* ut homines ad stuporem redigerentur, et ad dubitationem multam et coniecturas diversas.

* p. 214.

Quod cum Alexandrinis cognitum esset, Damianus cum ceteris aliis post mortem senis illuc festinaverunt[2] et corpus eius auferre quaesierunt, quod monachi illius monasterii non permiserunt. Et, cum stupor et admiratio eos propter omnia occupasset, quomodo beatus Iacobus et comites eius repente abrepti essent[3], cum multi in se ipsis iudicarent, « Num igitur[4] alienum aliquid itemque quod maiorem perturbationem adferret in ecclesiam commovebat, aut patriarcham facere in animo habebat, et Deus eum cepit ne anima illius viri Dei damnum pateretur? ».

[1] Clausula aliter continuatur. — [2] Sic. — [3] Clausula incompleta relinquitur. — [4] ἄρα.

Caput XXXIV, de opinione vana et omnis nequitiae plena quam de morte repentina beatorum Iacobi et comitum eius opinati et locuti sunt nonnulli, et [1] qui rationem de verbo otioso dare [2] non timent famam ediderunt Paulitas senem Iacobum et
5 comites eius lapidibus occidisse. — De morte igitur quae tam improvisa fuit beati Iacobi et comitum eius qui detrimentum animarum suarum non curant dicere non veriti sunt, « Paulitarum *nonnulli* mandatu Pauli exierunt et patri Iacobo in via insidiati eos fustibus contuderunt et saxis lapidaverunt, itaque
10 abiit et in Aegypto mortuus est ». Quod non solum falsum est, * sed et nequissimum. Ut enim damnum animarum suarum *p. 215. augerent et offensionem magnificarent famam ubique disperserunt, ut multos commoverent et offenderent, et fidelium conscientias in aliorum offensionem percuterent, et partis suae
15 incrementum ut putaverunt facerent, cum damno et ruina animarum suarum non commoti essent nec doluissent, ut per calumnias homicidales huiusmodo extra omnem Dei timorem gloriarentur.

Caput XXXV, de tribus legatis qui anno 888 fuerunt, qui de
20 pace inter limites collocuturi missi sunt, qui Paulo valde devincti erant. — Hoc ipso tempore igitur legati tres Theodorus patricius et Iohannes et Petrus consules [3], qui Paulo patriarchae maxime devincti erant et pro eo dimicabant, hi videlicet consules [4], adeo ut magis quam pro tota republica [5], ut *ita* dicamus,
25 concilia cottidie congregare et pro eo loqui studerent. Quamobrem ipse pater Iacobus cum multis ad eos ivit, et inter eos dicta sunt quae narrationis ordinem et libri modum excedunt, cum pars *altera* alteri obtemperare non potuisset; itaque ambae partes cum vexatione a se invicem discesserunt et abierunt. Et
30 praeter haec etiam in omni urbe quam intrabant quaestionem commovebant. Et, quoniam in omnibus plerumque regionibus quae ab oriente Euphratis *sunt* itemque usque ad terram Persarum magis quam Paulo beato Iacobo devincti erant, * legatis *p. 216. omnino non obtemperaverunt nec se accommodaverunt, itaque

[1] Haec clausula extra constructionem grammaticam additur. — [2] Matth., xii, 36. — [3] ὕπατοι. Cf. II, xi. — [4] ὕπατοι. Clausula interrumpitur et aliter continuatur. — [5] πολιτεία.

ascenderunt et huc ad urbem regiam indignati pervenerunt, cum omnes orientales conviciarentur.

Caput XXXVI, de Mondir filio Ḥārith rege Ṭayāye, et de omnibus catervis eius, qui propter eandem occasionem quae inter Paulum et Iacobum erat vexabantur et adflictabantur. — 5 Cum igitur omnes catervae Ṭayāye ab initio beato Iacobo devincti essent, necnon et vivente etiam sene Ḥārith Paulus illuc ivisset et apud eos celatus esset, et per eum etiam propter moderationem et gravitatem et eius doctrinam aedificati sunt. Necnon magis post mortem Ḥārith, cum partes ambae apud eos 10 convenissent, tum alter alterum [1] amice receperunt, tum ibi in ipsis castris [2] Ṭayāye ambobus Paulo et Iacobo omnes devincti erant.

Tandem vero, cum Satanas perturbationem inter eos iecisset, Ṭayāye omnes vexabantur; et praesertim ipse rex eorum Mondir 15 cum fratribus et filiis suis et ceteris, qui ipsum senem Iacobum obsecrabant ut alter ad alterum accederent et unirentur; qui eis non obtemperabat ut eum reciperet eique uniretur, cum Alexandrinos obtenderet: « Nisi illi eum recipient, nec ego eum recipiam ». Itaque omnes Ṭayāye indignabantur et vexabantur. 20 Et, quandocunque Paulus ad eos ibat, eum recipiebant, et ab eo *eucharistiam* accipiebant; et, quando Iacobus etiam, similiter; donec Iacobus eos *eucharistiam* ab eo accipere vetuit. Itaque omnes in indignatione et adflictione et perturbatione usque ad mortem senis Iacobi perstiterunt. Post mortem eius 25 autem maior pars eorum eum secuti sunt, et pars Paulitas, et *p. 217. pars etiam * ambos accipere perstiterunt, cum omnes pariter ob hanc discordiam et contentionem alienam quae inter eos facta erat maererent et adfligerentur, et praesertim ipse Mondir rex eorum, qui ambas partes ut inter se conciliarentur 30 semper obsecrabat, nec invidia et odium et inimicitia quae a Satana *effecta erat*, et eorum qui secundum voluntatem eius consiliarii *erant* ambas partes rursus placari et conciliari usque ad mortem sivit. Itaque, cum senex Iacobus Alexandriam eadem controversia iter direxisset, Deus qui omnia scit, cum in adiu- 35

[1] Sc. Paulus et Iacobus. — [2] Ḥirthā (vide p. 131, n. 1).

torium eius prius spectasset, de eo in via exitum decrevit ut etiam supra saepe notum fecimus.

Caput XXXVII, quomodo clerici Alexandriae ad urbem regiam secundo ascenderint, et in monasteriis inclusi sint. —
5 Praeterea, cum accusationes per litteras multas *scriptae* a Iohanne synodita episcopo Alexandriae in clericos orthodoxos factae essent, mandatum est et comprehensi sunt, et ad urbem regiam ascenderunt; quo mense iyār[1] anni 890 pervenerunt. Quamobrem, cum ad Eutychium patriarcham se contulissent,
10 tum superbia in eos usus nuntium ad eos foras misit, « Quoniam tempore priore quo vos dimisi vos *eucharistiam* accepturos mihi promisistis, ingressi nunc accipite, et deinde ad me ingressi me videbitis ». Quamobrem his *rebus* auditis nuntium ad eum miserunt, « Nos tibi non promisimus nos *eucharistiam* accepturos,
15 nisi synodus Chalcedonis eicietur ». Deinde in eos iratus mandavit et abierunt et divisi sunt, et in monasteriis inclusi.

* Caput XXXVIII, de morte Theodosii archipresbyteri et ecclesiecdici[2] ecclesiae Alexandrinorum, qui cum in monasterio quod vocatur *monasterium* domus silentiarii inclusus es- * p. 218.
20 set mortuus est. — Theodosius princeps ecclesiae Alexandriae, cum in monasterio domus silentiarii inclusus esset, postquam eum incluserunt aegrotavit et 'in senectute bona'[3] mortuus est, propter cuius mortem omnibus Alexandrinis, et praesertim qui inclusi erant adflictio magna fuit. Et hoc fuit postquam
25 semel vocati sunt et ad disputationem cum Eutychio patriarcha ingressi sunt, dicentes ei « Nos tecum sine mediatoribus rege aut senatu[4] non loquemur ». Et, cum multa facta essent, redierunt et ad monasteria missi sunt unusquisque eorum ubi inclusus erat. Qui cum ut vocarentur et ad disputationem ingrede-
30 rentur rursus exspectarent, princeps eorum ut dictum est mortuus est, dum omnes etiam in praesens in eis monasteriis caute includuntur et custodiuntur.

Caput XXXIX, quomodo Mondir filius Ḥarith rex Ṭayāye ad urbem regiam ascenderit, et de eis quae zelo propter disci-

[1] Maio. — [2] Ms. 'ecclecdici'. — [3] *Gen.*, xxv, 8, *Iudic.*, viii, 32. — [4] σύγκλητος.

dium quod inter Iacobum et Paulum fuit gesta sunt. — Cum igitur fornax Babyloniorum inter has duas partes Paulitarum et Iacobitarum ob causas futtiles et suspiciones vanas magis flagraret et exardesceret, et *ob* instigationem nonnullorum qui ob causam invidiae et odii antiqui commovebantur et senis 5 Iacobi animam sinceram et laboriosam conturbabant, ut ad inimicitiam contra Paulum veniret, et ad probra et contumelias
*p. 219. quae extra omnem ordinem et regulam recti * effrenate et sine claustris timoris Dei ab ambabus partibus in se invicem effundebantur, ita ut non solum vivente sene Iacobo, sed et, post- 10 quam etiam Dei voluntas in eum completa est, et e vita hac molesta et turbata evasit et e mundo exiit, eadem cum incrementis et anathematibus mutuis *gesta sint,* in omni regione et in omnibus tractibus et in omni provincia[1] in oriente et in occidente immaniter ⌜se parabant[2], adeo ut, sicut scriptum est, 'fac- 15 ti simus opprobrium vicinis nostris, et subsannatio et illusio eis qui in circuitu nostro *sunt*'[3]. Quoniam[4], cum gloriosus Mondir patricius ad regem vocatus ascendisset et magnifice receptus esset, in omnia haec mala quae ab eis qui eiusdem fidei et eiusdem communionis inter se erant invicem patrari viderat zelum forti- 20 tudinis et Dei timoris induit. Tum is, ambabus partibus congregatis, de omnibus his malis et discidiis et contentionibus quae inter eos orta erant reprehendere et admonere et obiurgare incepit, eisque ut discidiis desisterent et certando ac contendo abstinerent et inter se conciliarentur suadebat, et praesertim 25 pro eo quod eiusdem fidei inter se erant. Ab ipso enim initio etiam personas[5] Paulum et Iacobum inter se conciliari et caritate uti cogebat et suadebat et obsecrabat. Adventus[6] vero gloriosi Mondir anno 891 mense šĕbāṭ[7], *die* 8° eius factum est, qui pompa magna et honore infinito a rege misericorde Tiberio 30 receptus est, qui eum xeniis et muneribus magnis, et donis regiis honoravit, et quidquid volebat ei fecit, et quidquid roga-
*p. 220. vit * ei dedit, itemque filiis eius duobus qui eum comitabantur dignitates donavit, et diademate etiam regio eum dignatus est.

[1] ὑπαρχία, sc. ἐπαρχία, ut saepe ap Syros. — [2] Text. 'commovebantur'; corr. marg. — [3] *Ps.* LXXIX, 4. — [4] Requiritur potius 'quamobrem'. — [5] πρόσωπον. — [6] Litt. 'ascensus'. — [7] Februario.

Caput XL, de concilio et promisso pacis unionis mutuae quae ab utraque parte glorioso Mondir mediatore facta sunt. — Cum igitur illustris Mondir quidquid voluit apud regem effecisset, deinde die mensis adār [1] *die* secundo eius eiusdem anni con-
5 cilium *virorum* insignium utriusque partis cum Alexandrinis convocavit, quos ut invicem conciliarentur et quaecunque a Satana inter eos commota erant tollerent et exstinguerent obsecrabat. Et, cum multa quae narrationem excedunt inter eos dicta et commota essent, iam non a duabus partibus, sed a tribus invicem
10 a Iacobitis et a Paulitis, necnon ab Alexandrinis, cum parvitas nostra etiam inter eos *esset*, et quoniam in utraque parte multi prudentes erant, et de omnibus quae a turbulentis eorum qui in partibus supradictis *erant* procaciter et immaniter perpetrabantur se valde adflictabant et pace gaudebant tum, ut omnia
15 haec mala tollerentur, omnes una se accommodaverunt, et promissa dederunt fore ut unio inter eos fieret. Et decretum est ut, dispensatione facta, omnes *res* adversae quae a Satana inter eos commotae erant desinerent et cognoscerentur et tollerentur. Quamobrem, cum omnes huic *rei* adsensi essent, tum instrumen-
20 tum etiam unionis inter eos factum est quod omnes discordias et contentiones quae inter eos factae erant sustulit, et *constituit* ut omnes archiepiscopi et episcopi et clerici et monachi (coenobia omnia), et laici qui divisi erant se invicem reciperent, et omnes una ad unionem mutuam sine contentione venirent.
25 * Itaque preces unionis a sacerdotibus utriusque patris itemque ab Alexandrinis factae sunt; et facta est unio, cum omnes Deo gratias agerent qui malum et omnes qui eius et ab eo *sunt* de medio removit, et omnes promissum dedissent se studio usuros et omnes partis suae fautores qui corpore aberant
30 ad unionem quae facta erat adducturos. Turbulenti autem nonnulli et tumultuarii forte fuerunt, qui sordium iniquitatis pleni pacem factam molestissime tulerunt nec ea gavisi sunt; et, quoniam concilium [2] *virorum* primorum et insignium apud regem Mondir factum est, nec multitudine [3] totius populi ei opus
35 fuit [4], hac de causa praesertim quod totius multitudinis [3] ratio

* p. 221.

[1] Martii. — [2] Ms. plur. — [3] ὄχλος. — [4] ܐܠܨܬܗ ܒܠ, quod in lexicis non inveni, ita verti.

non habita est nec vocata est, nonnulli in contrariam *partem* se verterunt et id quod factum est tollere studuerunt. Qui congregati coetum [1] fecerunt et scripserunt et turbas commoverunt, tum in Syria tota tum Alexandriae, et multos conturbaverunt ut obsisterent neu se accomodarent neu id quod factum est 5 acciperent, quod Satanam et omnes daemonum eius greges delectavit. Concilium vero in pace et gaudio dissolutum est, cum omnes Deo itemque illustri Mondir gratias haberent.

CAPUT XLI, de Damiano syro, qui et ipse extra ordinem canonicum in ipsa Alexandria post Petrum patriarcha factus 10 est. — Ante haec igitur quae modo narravimus Damianus qui extra ordinem Alexandriae post Petrum papa factus est, qui et ipse in contentionem et discordiam et rixam factus est, *ita* ut hic Damianus etiam eius exemplo contra omnem ordinem ecclesiasticum ut *virum* ineruditum et ingenii inopem se osten- 15 deret, consilio vano et incogitato capto, ad Syriam exiit ut *p. 222. * Antiochiae patriarcham crearet et inthronizaret in vicem Pauli cum is viveret, et contra omnes regulas canonicas, quemadmodum ipse etiam itemque antecessor eius facti sunt, quod [2], postquam alius, Theodorus videlicet, ante eos factus et nomina- 20 tus est, et epistulas synodicas Alexandriam scripsisset, deinde Alexandrini, irae impetu immaniter et barbare incitati et commoti, Petrum quendam diaconum virum simplicem et idiotam *patriarcham* creaverunt, et ipsi illius nomine ut voluerunt usi sunt, cum duo patriarchae exinde in uno throno [3] uno tempore 25 exstarent, unde Petrus et Damianus successor eius a multis exinde adulteri appellabantur qui ingressi uxorem *viri* alius adulterassent. Quamobrem, cum Damianus opprobrii sui quod ab omnibus *erat* quia vivente Theodoro qui ante Petrum *fuit* is et antecessor eius ipsi facti sunt celandi consilium cepisset, 30 ita opera data consilium cepit Damianus ut Syriae etiam Paulo vivente alium super eum *patriarcham* crearet, ut eorum ipsorum opprobrii simile *aliquid* exstaret.

Cum vero egressus Syriae episcopos vocatos adhortaretur ut cum eo consociati patriarcham Antiochiae crearent, episcoporum 35

[1] κοινίον vel κοινήν. — [2] Ms. om. — [3] θρόνος.

pars canonice recusaverunt, dicentes, « Quamdiu Paulus non vocatus erit et iudicatus et delictis convictus et damnatus et canonice pulsus, nos alium super eum *patriarcham* creare abnuemus, et non solum canonibus damnari, sed etiam anathe-
5 matizari ». Alii autem Damiano adsensi sunt et se cum eo patriarchae alius creandi causa consociaverunt. Quamobrem, cum unum et duo adigerent ut eos *patriarcham* crearent, ei quoque eodem exemplo recusabant, dicentes singuli, « Ego viro viven-te, nec canonice vocato et iudicato et damnato et pulso super
10 eum *patriarcha* non * fiam nec me accommodabo, et forsitan ego etiam ad postremum pellar ». Tandem vero ineptum quendam sui similem invenerunt cui nomen Severus, et cum duobus aliis episcopis eum adduxit, et Antiochiam noctu ingressi, cum ad paramonarium ecclesiae quae vocatur Cassianus [1] fur-
15 tim misissent, se ei duodevinginti daricos daturos polliciti sunt ut eis aperiret ut noctu ingressi eum ibi *patriarcham* crearent. Et, cum paramonarius pecunia accepta pactionem cum eis fecisset, et confisi noctu ingredi et secundum voluntatem suam facere parassent, consilium malum quod facere pa-
20 rabant quibusdam notum est, qui statim profecti urbis patriarcham certiorem fecerunt, qui statim misit eos comprehensurus. Et, cum domum ab omni parte circumstetissent, et ingressi ex eis tres monachos comprehendissent, Damianus et episcopi et ceteri qui cum eo *erant* ad hypogeum [2] domus, cloa-
25 cam [3] videlicet descendere coacti sunt, et ab emissario [4] exitus cloacae [3] sub sellis [5], itaque totis corporibus et cunctis vestibus omni caeno illius cloacae [3] immersis et inquinatis et pollutis et concacatis Damianus et Sergius ’NPYṬWR [6], hoc est superciliis coniunctis, et Georgius SRQBYNWS et episcopi comites
30 eius [7] et is quem patriarcham creaturi erant cum ceteris eo egressi evaserunt et effugerunt nec comprehensi sunt, pollutione sua in stercoribus magis pudefacti quam eo quod doli eorum irriti facti sunt. Monachos autem quos comprehenderant ad patriarcham adduxerunt, cuius iussu eos suspensos

*p. 223.

[1] Sc. eccl. Cassiani. — [2] κοῖλον. Brockelm. κήλων. — [3] ἀμάρα. — [4] Litt. ‘fenestra’. — [5] σελλία. Intellegendum ‘exierunt’, quod fortasse auctoris aut scribae incuria om. est. — [6] Requiri videtur ‘Henophrys’. — [7] Sc. Damiani.

acerbe cruciaverunt; qui de omnibus quae facturi erant confessi sunt. Et, cum de Damiano et sociis eius confessi essent, quoquoversus missum est ut comprehenderentur, et evaserunt nec comprehensi sunt. Qui vero comprehensi erant de paramonario etiam confessi sunt; qui venit et confessus est; et magis 5
* p. 224. quam hi * cruciatus subiit, et spoliatus est.

Damianus vero, cum effugisset, Constantinopolim clam ascendit, antequam concilium unionis fieret. Qui cum ad illustrem Mondir studio quorundam qui pacem inquirebant noctu advenisset, inter se collocuti sunt; et se paci studere eamque 10 inquirere et ei adsentiri professus est. Et, cum paucis visus esset, effugit, et Alexandriam profectus est. Ut enim dictum est, et episcopos etiam in urbe regia creavit.

Caput XLII, quomodo clerici alexandrini, itemque postea ipse Mondir ab urbe regia dimissi sint. — Quoniam igitur 15 Alexandrini cum laicis insignibus propter rationem fidei in urbe regia propter mandatum comprehensi erant, postquam concilium factum est et dimissum, gloriosus Mondir ingressus regem misericordem Tiberium de eis obsecravit, qui eos dimisit. Et eis mandatum datum est, necnon res magnas eis fecit[1] ob 20 causam unionis quam fecerunt. Itaque gaudentes exierunt, et, nave conscensa, ad urbem suam abierunt. Post haec vero gloriosus Mondir obsecravit ut ipse etiam dimitteretur, et regem misericordem de pace ecclesiae etiam obsecravit, et ut Christianorum persecutio conquiesceret. Qui ei cum iureiurando 25 promisit se, si a bellis conquieturus esset, pacem statim facturum. Itaque hac promissione *data* eum cum magnis honoribus dimisit, et donis regiis auri et argenti multi et vestibus splendidis, et ephippiis et frenis multis argenteis et armis. Et praeter haec omnia diadema etiam regium ei donavit, quod 30 usque ad hunc nullis regibus Ṭayāye umquam fuerat nec datum erat, sed nonnisi coronam tantum sumere eis fas erat.
* p. 225. * Itaque dimissus est et pompa et laetitia magna exiit. Quamobrem, cum Antiochiam pervenisset, et ibi etiam receptus est, et, regis voluntate et promissionibus et iureiurando eius 35 de unione ecclesiae confisus, eum et persecutionem conquiesce-

[1] Mondir (?).

re iussisse urbis patriarchae et ceteris nuntiavit. Et statim patriarcha mandavit et ad omnes provincias [1] scriptum est, ne quis persecutionem facere auderet, quod rex mandasset et pacem facere quaereret. Itaque paulisper conquievit persecutio. 5 Quamobrem, cum hoc Diphysitae urbis regiae audivissent, ira magna in Mondir commoti, sine mora ingressi eum ante regem vehementer incusaverunt; *ille* autem Dei amans aurem *eis* non praebuit.

Cum igitur Mondir in via *esset*, et Ṭayāye Persarum hostes 10 eius eum tempus *aliquantum* in urbe regia moraturum putassent, Persae et Ṭayāye, cum eum longe abesse vidissent, congregati in regionem et terram eius contra filios et fratres eius iter tetenderunt ut eos adorti trucidarent et captivos facerent. Et, cum contra se invicem *pugnare* parati essent, Mondir su- 15 bito adfuit. Qui statim, cum hi *id* non exspectarent, contra eos exiit et eos adortus trucidavit, donec eos delevit, cum pauci eorum eius gladium effugissent et evasissent. Itaque gaudens reversus est tota horum praeda adlata; et magis ab omnibus celebratus est, et nomen eius magno opere laudatum est.

20 Caput XLIII, de eodem Damiano, et de mendacio eius et quomodo pacem in urbe regia factam inique everterit, necnon de eis clericis qui mutati sunt et ipsi etiam promissa fefellerunt. — Damianus vero syrus imperiosus, qui tempore dignus erat ut Alexandriae *patriarcha* fieret, idem cuius supra mentio 25 facta est, cum Alexandriam pervenisset et a quibusdam * propter Paulum reprehensus esset, deinde ut hominibus placeret et non Deo, vel ecclesiae paci studeret, dicto revocato promissum suum ad gloriosum Mondir et ad ceteros fideles qui ex utraque parte eum obsecraverunt *factum* fefellit, et mutatus est, et 30 Paulo adversatus est; et in eum anathemata et probra et contumelias asperas scripsit, nec suffecit ut ipse solus his *rebus* uteretur, sed ut [2] in epistula encyclica [3] etiam, hoc est circulari, omnia scripserit et ad Syriam et quoquoversus in dicione sua et extra dicionem miserit. Quae epistulae eius viris tur- 35 bulentis et immanibus praecipue datae sunt, qui cum Satana

* p. 226.

[1] ὑπαρχίας, sc. ἐπαρχίας (vide p. 164, n. 1). — [2] Sic. — [3] ἐγκυκλίων.

coniuncti erant et currebant et laborabant, nec cum Christo congregaverunt, sed in contrarium currentes re vera sparserunt[1], qui studiose commotiones et turbas conciverunt, et discidia exagitaverunt et contentiones germinaverunt, et iurgia et rixas et contumelias, et quaecunque diabolo cordi sunt magis quam antea fecerunt. 5

Sua vero, et fortasse haud indecorum est dicere et Satanae etiam, et in clericis etiam operatus est qui in concilio unionis quod in urbe regia factum est adfuerunt. Quamobrem ei etiam cum eo Spiritui sancto mentiti sunt[2], et dictum revocaverunt, 10 postquam studio Mondir recreati et soluti sunt et ex angustia exierunt, propterea quod ante eum et ante coetum multum unionem promiserunt et uniti sunt, et scripto etiam nominibus suis fecerunt[3], qua de causa etiam soluti sunt et e custodiis et e carceribus exierunt, et 'averterunt se et mentiti sunt que- 15 madmodum patres eorum'[4], ut pater eorum videlicet Damianus, qui eis dignus est et quo ei.

Quamobrem, cum rex Mondir, postquam a caede hostium suorum rediit, de mutatione eorum etiam didicisset et quo- *p. 227. modo a veritate * ad mendacium immodicum perversi essent, 20 adflictus est et eum piguit, et praeter haec miratus est; et epistulis encyclicis[5] Damiani praesertim obstipuit, quae ab improbitate completa haud multum aberant. Quamobrem Mondir ad unumquemque eorum nomine eius scribere non praetermisit eosque de mendacio eorum in Deum et in se et in totam eccle- 25 siam *facto* admonuit et obiurgavit, Ei autem ob *causam* dedecoris sui et pudoris nec litteras eius recipere nec responsum[6] etiam ei facere potuerunt. Itaque indignatus est, cum ob has causas fornax irae in totam ecclesiam fidelium magis arderet et ferveret et flagraret, necnon incrementum magis discidio- 30 rum et contentionum et probrorum et contumeliarum et rixarum quae[7] inter duas partes semper effrenate et sine timore Iudicis aequi ardenter flagrabant.

Caput XLIV, de eis quae in regione Syriae etiam quasi ob causam epistularum Damiani extra ordinem et contra leges 35

[1] Matth., xii, 30. — [2] *Act.*, v, 31. — [3] Sc. unionem. — [4] *Ps.* lxxviii, 57. — [5] ἐγκυκλιῶν. — [6] ἀντίγραφον. — [7] Ms. om.

ecclesiasticas patrata sunt. — Cum igitur epistulae Damiani fortis Alexandriae in Oriente circumferrentur, et turbulentis quibusdam occasionem dedissent, *adeo* intumuerunt nonnulli ut extra ordinem recti patriarcham secundum nomine Antio-
5 chiae, cum primum canonice damnatum esse non patuisset, ipsi alium[1] praeter eum crearent, *ita* ut derisoribus res ludibrio et ioco fieret dicentibus, « Duos patriarchas Antiochiae nominari opus erat, sicut Alexandriae etiam tres praeter *patriarcham* Synoditarum, ne se invicem obiurgarent », itaque
10 perturbate et confuse quaecunque inter fideles *erant* ob causam contentionum ad ruinam sine ordine redigebantur.

* Caput XLV, de litteris coenobiorum orientalium quae subscriptionibus eorum confirmatae sunt et ad Iohannem Ephesi qui in urbe regia habitabat missae, qui eum ad unionem cum
15 patriarcha quem creaverant vocabant. — Cum autem anno 892[2] episcopi et principes coenobiorum et clerus beati Iacobi post eius mortem hi[3] ad hoc consilium pervenissent, tum adulescentem[4] quendam cui nomen Petrus, filium Pauli qui de Callinico urbe *erat*, patriarcham creaverunt et constituerunt, quem
20 ipse beatus Iacobus cum viveret *patriarcham* creare bis quaesierat, necnon et alii post mortem beati rursus *patriarcham* creare quaesierant, qui *suasioni* non obsecutus est, nec adnuit dicens, « Ego praeter virum qui canonice non vocatus est, nec legaliter damnatus et pulsus *patriarcha* fieri abnuo, et postre-
25 mo anathematizari et ecclesia pelli[5] ». Et nunc demum *suasioni* obsecutus est; et, ut fertur, Alexandriam intravit, et a Damiano et ceteris ordinari[6] factus est, et praeter Paulum, cum is viveret, nec a synodo damnatus et pulsus esset, Antiochiae nominatus. Et in hac pernicie et confusione, quae cum omni
30 operatione et delectatione diaboli *erat*, ecclesia fidelium versabatur.

* p. 228.

[1] Sic. — [2] Ms. '882'. — [3] Sic, sed fortasse excidit aliquid (cf. Mich., II, p. 345) et vertendum « mortem (in monasterio Mar Ḥaninā quod in deserto est convenissent), hi ad hoc consilium pervenerunt, et adulescentem ». — [4] Text. 'laicum', corr. marg. eadem manu; Mich. 'adulescentem'. — [5] Sm. et Schönf. Petrum anathematizatum et pulsum esse perperam intellexerunt. — [6] χειροτονηθῆναι.

Post haec autem omnes una consilio inito convenerunt, principes coenobiorum quicunque huic facto adsensi erant, et omnes subscriptionibus suis litteras ad Iohannem episcopum Ephesi qui in urbe regia habitabat fecerunt, quibus eum ad unionem et communionem suam et patriarchae quem creaveraut vocabant, cuius ne nomen quidem ei aperte indicaverunt quid esset. 5
* p. 229. Qui, quoniam * medius duabus partibus stabat et ambas simul vituperabat, cum de clade quae ob causam invidiae et odii Alexandrinorum inter eos facta erat, et discidia et contentiones quae in tota ecclesia fidelium *erant* doleret et adflictaretur, et 10 eis suadebat et eis admonebat et obtestabatur, et *ad id* se accommodare prorsus omnino abnuit ut cum una parte staret et contra alteram dimicaret; qui his litteris receptis ad lacrimas et adflictionem acerbam pervenit, propter novum incrementum perniciei et confusionis ecclesiae fidelium quod factum 15 est, nec scribere quidem ei cordi erat. Et, quoniam ante annum unum etiam litterae aliae ab eis factae erant quae eum vocabant ut quasi in certatione cum eis contra alteram partem staret, et is responsum[1] eis facere praetermiserat, et de hac *re* etiam in epistula sua conquesti sunt, hac de causa responsum 20 castigationis sanae eis scribere coactus est, de eo quod, cum[2] ipsi contra omnem ordinem canonicum in eo quod perpetraverant egerunt, quomodo[3] eum ad unionem et communionem vocarent. Quas nisi propter prolixitatem multam et copiam verborum et ipsas etiam litteras[3] omnium ad eum et eius ad 25 eos hic perscripsissemus.

Caput XLVI, de excusatione ipsius auctoris, se sine inclinatione et passione in utram partem scripsisse. — Hoc igitur duabus partibus quae operatione spiritus inimicitiae mutuae excitatae sunt, et ceteris omnibus notum sit, nos, quando ea 30
* p. 230. quae a parvitate nostra *narrata sunt* * perscripsimus, ea quae inter eos commota et patrata sunt et a nobis ad commentariorum conscriptionem adducta veritatis causa vituperasse et parem in ambas partes reprehensionem fecisse, nec, quando haec scripsimus, pro personis[4] in personas[4] tela misisse, etsi non- 35

[1] ἀντίγραφον. — [2] Ms. om. — [3] Sic. — [4] πρόσωπον.

nusquam in alterutram partem culpas convertere et vituperationes facere videamur, in inimicitiam videlicet et licentiam quae ab eis invicem immaniter et illicite patratae sunt, cum de eisdem rebus doleremus et adfligeremur et oculi nostri lacrimas effunderent, de flagitiis et pernicie et discidiis et contentionibus et dissensionibus et rixis et probris et contumeliis quae inter nos cum delectatione homicidae [1] commota et effecta sunt. *Sciant* etiam nos propter haec ex angustia cordis [2] reprehendere coactos esse, cum de hac *re* contristaremur, quod, cum participes et eiusdem fidei alteri cum alteris essemus, ob causas quasdam quae indignae essent *ei rei* nos dedissemus ut ad tot mala temere et effrenate perveniremus, quae nos ipsis etiam personis [3] personaliter ab initio scripsisse, et praesertim ad senem laboriosum Iacobum usque ad diem obitus eius ita « Ego parvus leges [4] ecclesiasticas secutus, cum pravum nihil in fide videam, nec a tua communione nec a Pauli discedo quia ob culpationes canonicas quae aut verae aut falsae sunt in certationem mutuam incidistis, de ceteris autem quae inordinate et parum recte et contra praescripta ecclesiastica inter vos gesta sunt vel geruntur, sive vos anathemate in Paulitas et depositione [5] haud canonica usi estis, sive Paulus in vos aut in Alexandrinos, sive Alexandrini in vos aut in Paulum contra ordinem vel praescriptum canonum, cum omnibus his *rebus* illicitis numquam partem vel * communionem habebo, donec (* p. 231) omnia ad iudicium canonicum et quaestionem legalem coram synodo iudicentur [6] et omnia inquirantur et cognoscantur, quae legibus [7] ecclesiasticis congrua sint easque conservent (?), et quae ab ordine recti remota sint et ei aliena ».

Haec igitur in plus quam decem epistulis meis ad beatum Iacobum *scriptis*, et personaliter eo vivente et ad ceteros scripta exstant. Et ego, cum mihi propter haec tristitia magna est et dolor qui de corde meo non desinit, partibus ambabus in suspicionem censurae et inimicitiae veni, dum eum qui scrutatur renes et cor [8] testem invoco me, in parte *altera* contra alteram non dispositum, in medio adhuc mansisse, dum de tot

[1] Sc. diaboli. — [2] II *Cor.*, xi, 4. — [3] προσώπον. — [4] νόμος. — [5] καθαίρεσις. — [6] Sic. — [7] νόμος. — [8] Ier., xi, 20.

malis quae per operationem eius qui ‘ petivit ut ’ nos ‘ cribraret sicut triticum’ [1] patrata sunt adfligor et obstupefio et maereo.

Caput XLVII, quomodo Paulus tandem abierit et in monte Isauriae in spelunca latuerit, ut dicebant, tempus quattuor annorum, dum cum hominibus non loquitur nec audit [2]. — Paulus vero patriarcha dierum malorum, cum procellas ex omni parte surrexisse vidisset, abiit *et* in spelunca, ut fertur, in montibus arduis Isauriae habitavit, et latuit, usque adhuc, tempus quattuor annorum, nec cuiquam se exhibuit nisi paucis qui responsa [3] ei faciebant, cum nemini scriberet nec a quoquam litteras acciperet, adeo ut ita etiam multi in eum murmurarent eumque vituperarent quod ita latuit et certationem tantam neglexit quae propter eum in omni regione instabat, ita ut nec cum pervicaces quidam alium in vicem eius in Syria *patriarcham* creassent se exhibuerit vel locutus sit, sed en nunc silentio utatur, et in latebra degat.

* p. 232. * Caput XLVIII, de Theodoro qui a Longino et ceteris Alexandriae papa factus est. — Theodorus autem, quem a Longino et ceteris Alexandriae patriarcham factum esse supra narravimus [4] secundum morem suum, quoniam solitarius antea fuit, tranquillitate *usus* in ipsa Alexandria aperte mansit, cum monasterium sibi cepisset et habitaret [2], et multi ad eum congregarentur. Et propter modestiam et tranquillitatem eius nemo eum molestavit vel urbe expulit, quamquam Damiano Petri successori adversarius fuit, sed propter lenitatem et tranquillitatem eius eum neglegebant, et quod dicebat, « Ego nihil curo, nec mea causa turbatio et discidium in ecclesia facta sit ». Post paulum vero contra Paulum et Longinum et comites eorum animo offensus est, ea de causa quod Paulus latuerat et omnia neglexerat, et Longinus quoque se ultra populum Nobadum, apud quem erat, ad populum alium magnum qui multis mansionibus [5] ultra eum *erat* relegaverat, quos Graeci Alodos [6] vocabant, qui Aethiopes esse putantur, et Deus eum

[1] Luc., xxii, 31. — [2] Sic. — [3] ἀπόκρισις. — [4] Cap. x. — [5] μανσίων. — [6] Sic, et saepius. In ceteris locis melius ‘Alodaei’.

adiuvit, et regi eorum et omnibus primoribus eius et omnibus populis regno eius subiectis locutus est, quorum [1] etiam memorias ordine referemus [2], nunc autem narrationem ad argumentum eius priorem quod de Theodoro perscribere incepimus re-
5 ducamus, quod, cum quibus *rebus* occupati essent Paulus et Longinus ostendere quaereremus, narratio lapsa est et ad argumentum aliud devertit.

Theodorus igitur contra eos offensus et indignatus est, dicens, « Venerunt *et* me in tentationem imposuerunt et a de-
10 serto removerunt, et nunc me reliquerunt et neglexerunt, nec utrum vivam an mortuus sim quidem de me rogaverunt ». Quamobrem epistulas etiam querulas multas scripsit, et ad Syriam, * itemque nobis, et ad multos qui in urbe regia *erant*, * p. 233. quae ipsae reprehensionum et murmurum et querelarum ple-
15 nae erant; *eas*que per beatum quendam stylitam misit qui cum eo in deserto erat, virum eximium, et alium *misit* presbyterum qui cum eo *erat* cui nomen Georgius. Quos cum recepissemus et litteras, eosque multum consolati essemus, itemque Paulo et comitibus eius reprehensionem de eis scripsissemus,
20 nos persecutio vehemens oppressit, et abrepti sumus; et urbe excesserunt, nec eos rursus vidimus. Quamobrem postea etiam idem querelam nobis scripsit, cuius causas ipsas ad commentariorum memoriam proferre mihi non visum est, sed eas silentio operire et praetermittere.

25 Caput XLIX, de initio conversionis ad christianismum populi quem Graeci Alodaeos vocant, qui a nobis Aethiopes esse putantur. — Cum igitur per ingressum beati Iuliani [3] qui, ut supra etiam rettulimus [4], studio Theodorae reginae (cuius anima requiescit) ad populum magnum qui vocantur Nobades an-
30 tea missus erat, et (ut diximus) regem eorum et primores eius, et partem magnam populorum regno eius subiectorum tempore duorum annorum *fide* instituit, et inde egressus erat cum totum populum illum Theodoro cuidam episcopo viro valde seni commisisset, qui in urbe erat quae vocatur Philarum [5], quae

[1] Sic. Corrigendum fortasse 'quarum rerum'. — [2] Capp. xlix-liii. — [3] Clausula sine verbo relicta est. — [4] Cap. vi, vii. — [5] Φιλῶν (sic).

urbs in Thebaide superiore est in limite regionis *supra*dictae, tum hic episcopus ingrediebatur, eosque visitabat et admonebat et ad urbem suam redibat, itaque usque ad tempus plus minus duodeviginti annorum permanserunt, et deinde, cum
* p. 234. Longinus * veste mutata abiisset et ad eos ingressus esset, tum 5 denuo instituit et admonuit, eosque docuit, et ceteros qui ex eis manebant baptizavit. Qui tempus sex annorum apud eos complevit, necnon et legati a rege eorum missi ad urbem regiam advenerunt, quibuscum sermonem saepe contulimus, qui Longinum magno opere laudabant et magnificabant eique gra- 10 tias magnas agebant.

Cum autem populus Alodaeorum populos hos Nobades conversos esse didicissent, deinde rex eorum ad regem Nobadum misit, ut episcopum qui eos docuit et baptizavit ad eum mitteret, ut hos quoque institueret et baptizaret. Longinus autem, 15 cum litteras ab Alexandrinis accepisset, ad terram Romanorum statim egressus in omnes has tentationes quae supra ordine perscriptae sunt incidit, et deinde rursus postea labore multo et negotio magno rex illius regionis legatos vix misit qui eum adduxerunt et apud eos introduxerunt. Alexandrini vero qua- 20 si invidia Satanae *moti* regem illum et totum populum eius taedio etiam adficere quaerebant, eosque ab eo avertere ne eum reciperent; et ad eum [1] depositionem [2] eius etiam miserunt, quam inique contra ius canonum fecerant, nec eos intuiti sunt nec receperunt, dicentes, « Nos neminem alium nisi patrem 25 nostrum spiritalem qui nos denuo generatione spiritali genuit recipiemus: et quaecunque de eo ab inimicis eius dicuntur a nobis falsa esse censentur ». Itaque eos respuerunt, nec eos receperunt.

Caput L, de eis qui ab Alexandrinis ad populum Alodaeo- 30 rum missi sunt. — Cum igitur Alexandrini regem Alodaeorum legationem secundam ad regem Nobadum misisse didicissent, ut Longinum qui eos *fide* instituit ad eum mitteret, deinde
* p. 235. * invidia nec zelo *moti* ad populum illum miserunt ut ⌈contra Longinum male agerent [3], et perniciem et transgressionem le- 35

[1] Sc. regem. — [2] καθαίρεσις. — [3] Vel 'L. perderent'.

gis[1] ecclesiae quam ipsi fecerunt acciperent et *in ea* instituerentur. Deinde studiose et sedulo epistulam ad eos contra Longinum fecerunt, cum nec Deum timuissent, nec, cum invidia et odio ebrii essent, cogitatio aequitatis in cor eorum ascendisset *id* Dei timorem non esse ut ad populum errantem et paganum qui ut ad christianismum converteretur et Dei timorem disceret rogaverat statim ante omnia quae correctioni eius idonea erant pernicies et offensio et contumeliae a Christianis contra Christianos *factae* litteris eis legarentur. Sed, ut dictum est, cum mens eorum obscurata esset et 'intellectus eorum insipiens' caecatus esset[2], pro doctrina timoris Dei inimicitiam offensionis fundamentum his primo ponere studuerunt, epistulis contra Longinum consutis et absolutis et ad eos missis cum duobus episcopis ex eis quos contra leges[1] ecclesiasticas creaverunt, et ceteris aliis, in quibus *ita* scripserunt, « Quoniam didicimus vos Longinum rogasse qui in Nobadibus[3] est ut ad vos mittatur vos baptizaturus, hac de causa duos episcopos et ceteros misimus vos certiores facturos, ne ab illo baptizemini, quia haereticus est et depositio[4] eius facta est, nec ei sacerdotii munere fungi nec quemquam baptizare licet », cum ceteris *rebus* multis quas pro admonitione institutionis perniciem[5] eis scripserunt. Sed 'Dominus retributionem Nabal in caput eius reddidit'[6], et ut scriptum est « Populi qui legem[1] iustitiae non sciebant legem[1] iustitiae adprehenderunt, et ipsi sibi facti sunt lex[1], Israel vero * qui iustitiam sectabatur non adprehendit »[7], ut de his adimpleretur[5], ut a populo pagano commonefacerentur et pudore adficerentur nec reciperentur, et pudefacti et rubore suffusi reverterentur, cum hi eis dicerent, « Nos quinam sitis vos nescimus, nec vos recipiemus, nec a vobis baptizabimur; sed qui populum Nobadum baptizavit eum recipiemus, et ab eo baptizabimur, nec quae a vobis in eum dicuntur accipimus; videmus enim vos inimicos eius esse, et ob invidiam haec in eum dicere. Et abite *et* e regione nostra discedite, ne male moriamini ». Itaque illinc discesserunt, cum nec ipsi nec quae ab eis dicta sunt omnino recepta essent, quasi

* p. 236.

[1] νόμος. — [2] *Eph.*, IV, 18, *Rom.*, I, 21. — [3] Ms. 'NBWS'. — [4] καθαίρεσις. — [5] Sic. — [6] *I Reg.*, XXV, 39. — [7] *Rom.*, IX, 30, 31, II, 14.

operatione Dei qui voluntatem eorum pravam vidit et zelum adversum.

Caput LI, narrationes videlicet quomodo beatus Longinus regionem Alodaeorum intraverit, et quomodo eos cum gaudio converterit et baptizaverit. — Cum igitur rex populi Alodaeorum legatos ad regem Nobadum misisset, *id* rogans ut Longinum episcopum ad eum mitteret eum et populum eius fide instituturum et baptizaturum, conversionis illius populi dispensatio quasi gratia Dei facta esse manifesto visa est. Deinde ‘ suscitavit Dominus spiritum ’[1] Longini ut abiret *et* ad eos ingrederetur. ⌈et cum[2] ita adflictarentur quod ab eis discessurus esset, [rex][3] et primores ac principes eius, [eum][3] cum quibusdam qui desertum sciebant [dimiserunt][3]. Ipse vero aegrotavit, et comites eius; et, ut in epistula sua indicat[4], et animalium etiam qui cum eo in deserto *erant* cameli septemdecim ob ardorem caloris deserti cum ceteris mortui sunt. Et praeter *p. 237. haec * insuper populus etiam et regnum aliud inter haec duo regna est, qui vocantur Macuritae. Quorum rex cum Longinum se in viam dedisse didicisset, Satanas invidia sua eum excitavit ut in omnibus regni sui limitibus in omnibus viis et in omnibus montibus et in campis usque ad mare Suph[5] custodes statueret, ut Longinum comprehenderet et populi illius magni Alodaeorum salvationem impediret. Itaque Deus eum occultavit et oculos eorum qui eum comprehendere quaerebant caecavit, et ‘ per medium eorum transiit et abiit ’[6], nec eum viderunt.

Cum vero ad fines regni ad quod tendebat pervenisset, et rex didicisset, virum quendam e primoribus suis cui nomen fuit Iṭiqyā (?)[7] ei obviam misit, ut in epistula sua indicat[4], qui eum recepit, et observantia et pompa magna in regionem traduxit. Qui cum advenisset, rex ipse ei obviam exiit, eumque gaudio magno recepit. Et, cum ingressus esset et cum eo et cum omnibus primoribus eius verbum Dei locutus esset, animo suo aperto *id* receperunt; et paucis diebus fide instituti sunt et

[1] Hag., i, 14. — [2] Ms. ‘cum et’. — [3] Excidisse videtur. — [4] Cap. liii. — [5] Sc. mare rubrum. — [6] Luc., iv, 30. — [7] Fortasse ex ‘Eutychius’ corruptum (Sm.).

rex baptizatus est, et primores eius omnes, necnon deinceps populus multus. Itaque, cum gauderet et exsultaret ille rex, epistulam gratiarum actionis regi [N]obadum scripsit huiusmodi.

5 CAPUT LII, de epistula regis Alodaeorum ad regem Nobadum. — « Recordatur caritas tua, domine frater noster 'WRPYWL'[1] qui nunc te verum cognatum meum esse ostendisti, nec corporalem tantum, sed et spiritalem, te huc ad me patrem communem et spiritalem misisse, et mihi viam verita-10 tis et veram Christi Dei nostri lucem ostendit et me baptizavit, et primores meos et totum genus[2] meum, et in omnibus *rebus* opus Christi * crescit. Et spero in Deo sancto fore ut ipse * p. 238. etiam tibi gratum facere studeam, et hostes tuos regione tua expellere; etenim non tuus tantum hostis est, sed et meus etiam. 15 Regio enim tua etiam mea est, et populus meus populus tuus[3]. Noli ergo animum demittere, sed virilis ac fortis esto; quoniam *ut* te et regionem tuam neglegam fieri non potest, et praesertim nunc cum per patrem meum sacrum patrem Longinum christianus factus sim. Quoniam autem *huius* inopia est, mi-20 nisterium ecclesiasticum nobis para; haec vero ut cum cautione mihi mittas exspecto, et responsum[4] tuum ipse faciam[5]. Diem autem quo festum acturus sum scribere nolui, ne epistulae meae non pervenirent[6]. Nihilominus tu cura vacuus esto, et virilis ac fortis; quoniam Christus nobiscum est ».

25 Haec igitur ab illo confessore novo rege Alodaeorum ad regem Nobadum scripta sunt. Necnon et partem[7] quoque parvam et ex epistula etiam beati Longini *exscribimus,* quam ex illa ipsa regione scripsit et ad regem Nobadum misit ut eam Alexandriam mitteret, quod etiam fecit. Excerptum vero ex epis-30 tula huiusmodi est.

[1] Fortasse ex 'Eurypylus' corruptum (LAND, p. 188), sed hoc nomen homericum hac aetate vix usurpabatur. — [2] γένος. — [3] *Ruth,* I, 16, *III Reg.,* XXII, 4. — [4] ἀπόκρισις. — [5] Obscurum est. Innuere videtur se, simul ac vasa accepturus sit, accepti lationem missurum. — [6] Sc. ne in hostium manus inciderent, et ei die quo Alodaeos festum agere scirent incursionem facerent. Sm. et Schönf. hoc perperam intellexisse mihi videntur. — [7] μέρος.

Caput LIII, pars epistulae Longini episcopi. — « Sed, ne vobis molesta narrem et epistulam producam, omnibus his rebus omissis, *rem* secundam, quae vobis omnibus qui christiani et orthodoxi perfecti revera *estis* delectabit, scribens dico, et ‘ gaudeo et congratulabor omnibus vobis, idem ipsum autem et vos gaudete, et rursus congratulamini mihi’ [1], quod qui omnem hominem vivere vult, nec mortem peccatoris mihi similis vult [2], dum omnium peccatorum meorum obliviscitur, tum suam propriam misericordiam * et gratiam suam recordatus est, tum portam misericordiae suae mihi aperuit et me ab eis qui animam meam venabantur [3] eripuit, meque per eos transire fecit, et oculos eorum caecavit, nec me viderunt. Nihilominus nec nos humanitatis quae in eo *est* expertes fuimus, et eius ipsius castigationis, pro eo quod omnes ⌜debilitatis meae comites [4], in morbum inciderunt, a magno et usque ad parvum, cum parvitas mea morbo prima adfecta esset. Hoc enim etiam iustum erat, ut ego primus castigarer, qui peccatorum multorum et delictorum in [5] quae incidi causa sum. Nec in morbos solum incidimus et saluti desperavimus, sed et ipsa animalia quae nobiscum *erant* mortua sunt, quod montium ardorem et sitim et aquae fetorem non sustinuerunt, et cameli septemdecim nobis mortui sunt.

* p. 239.

Et, cum rex Alodorum [6] de me didicisset me ad eum ire parasse, unum e primoribus suis cui nomen Iṭiqā (?) [7] ad me misit, et pompa magna me in eius ipsius terram introduxit; et, cum fluvium iuxta pervenissemus, navem ascendimus. Et, cum rex didicisset, gavisus est; et, ipse nobis obviam egressus, nos gaudio magno recepit. Et Dei gratia eum et magnates eius, et genus [8] eius totum *fide* instituimus et baptizavimus; et Dei opus cottidie crescit. Sed enim nonnullos etiam ex Axymitis [9], qui in morbum phantasiae Iuliani inciderunt, et Christum corpore impassibili et immortali passum esse dicunt, de fidei veritate

[1] *Philipp.*, II, 17, 18. — [2] Ezech., XXXIII, 11. — [3] *I Reg.*, XXIV, 11. — [4] Litt. ‘qui erat’ (sic) ‘cum debilitate mea’. — [5] Ms. om. Locus vix sanus est. Requiritur ‘qui ob peccata multa et delicta in quae incidi non in morbos’. Aut fortasse pro ‘incidi’ legendum est ‘inciderunt’. — [6] Sic (vide p. 174, n. 6). — [7] Ita hic. Vide p. 178, n. 7. — [8] γένος. — [9] Sic. Melius ‘Axumitis’.

exacta certiores fecimus et ut litteris haeresim anathematizarent ab eis postulavimus, et libello[1] eos accepimus ».

Et rursus post alia: « Et, ut discant provinciae[2] omnes et vobiscum spiritaliter exsultantes Deo nostro hominum amanti propter tot dona eius inenarrabilia gratiarum actiones cum laudibus offerant, et ut patres operam dent ut episcopi huc mittantur * qui in hoc opere divino quod Deo et hominibus qui ei confidunt gratum est et bene geritur laborare et servire poterunt[3]. Mille millia enim sunt hi, qui hic ad salvationem accurrunt, in gloriam Salvatoris omnium nostrum Christi. Et credite quod dico consilium quoddam humanum in me paulo ante surrexisse, ut nemini scriberem, sed, cum periculum[4] eorum qui his donis spiritalibus neglegenter utuntur respiciam, ad litteras has parvas ad amorem vestrum spiritalem *scriptas* perveni. Argentum enim et aurum aut vestes non cupivi, et Deus mihi testis est, qui corda hominum scrutatur, qui res meas scit, me pane diurno carere et folium oleris oculis videre profecto etiam gestire, et sufficit mihi ut usque ad haec edisseram ».

* p. 240.

Et haec quidem ab ipso sacro Longino scripta sunt (excerpta vero ex eis transcripsi[5]), et *ea* a regione Alodaeorum ad regem Nobadum misit, *id* ei scribens ut ipse ea Alexandriam mitteret. Qui, cum tandem *ea* recepisset, tum epistulas eius Alexandriam misit, ad Theodorum patriarcham quem Longinus creaverat, et ipse etiam rex epistulam ad eum scripsit quae de tota dispensatione Longini itineris memorabat, et de regionis longinquitate, et de tentationibus et rebus adversis quae contra eum surrexerunt, et de auxilio quod a gratia Dei *venit* quod erga eum factum est, et ceteris quae velut miraculo scripsit, quae sunt huiusmodi. Epistula regis Nobadum ad Theodorum Alexandriae. « Ante omnia praesertim vos, patres beati, in Christo saluto, necnon * in animo mihi est ut hoc sciatis, ante septem menses regem populi magni Alodorum[6] (quod[7]

* p. 241.

[1] λίβελλον. — [2] ἐπαρχίας. — [3] Clausula sine verbo principali relinquitur, nisi excerptum in media clausula incipit. — [4] κίνδυνος. — [5] Ms. 'transcripsit', et clausula cum 3ª persona melius currit, sed sensum ex ea extrahere nequeo. — [6] Sic. (vide p. 174, n. 6). — [7] Sic. Hoc a Ioh. fortasse additur.

est Aethiopia[1]) huc misisse, et patrem meum sanctum Longinum episcopum cepisse qui eum baptizaret, quod etiam factum est, quemadmodum mihi scripsit rex et[2] sanctus pater meus. Quod, cum hic principio de hac re[3] patri meo locutus essem, statim alacriter voluntate bona suscepit et beatudinem suam facturam promisit; et me cottidie urgebat, dicens, 'Haud fas est nobis hoc negotium neglegere, quoniam Dei est'. Et propter dolos malos eius qui inter nos *est,* regis scilicet Macuritarum, ipsum sacrum patrem meum ad regem Blemyum misi, qui eum viis quae ultra eum *sunt* illuc mitteret. Et didicit porro dictus Macurita, et suas ipsius stationes in toto limite regni sui collocavit, in montibus et in campis, et usque ad mare Suph[4] patrem meum comprehendere quaerens, ut bonum illud Dei opus irritum faceret, sicut pater meus mihi huc scripsit. Et aerumnam et tentationes acerbas animi et corporis in regione Blemyum[5] sustinuit, et praeter haec angustia multa ei addita est, et inopia. Et, quamquam ita *fuit,* dolorum malitia adversarii alacritatem sacri patris mei a Dei opere refrenare non potuit; sed ipse Dominus Deus noster vias et semitas sacri patris mei direxit, ut vias magnas et stationes validas transiret, quando iumenta[6] eius etiam cameli et cetera animalia perierunt, et deinde Deus eum adiuvit et evasit et ad regionem pervenit, et, a rege et a toto populo eius cum gaudio receptus, regem *fide* instituit et baptizavit et omnes qui cum eo *erant,* quemadmodum * in epistula quae ab eo huc missa est *scriptum* est. Et hoc item scite, quantum Dominus omnium Deus patrem meum comitatus sit, et quomodo cum eo ingressus sit, ut miraculum magnum quod erga eum effecit miremini, *ita* ut meus ipsius avunculus rex et patres eius reges quando legationem ad regnum idem mittebant, legatus octo vel decem annos occuparet, et deinde huc adveniret, sacer autem pater meus, regionem illam ingressus, ducentis diebus illius regis legationem ad nos miserit, cum multi etiam legatorum nostrorum priorum huc omnino non rediissent. Et, ne narrationem quae in epistula *est* pro-

*p. 242.

[1] Ms. T'YWPY'. Alibi (p. 184) Ioh. 'Kuš' scribit. — [2] Ms. om. — [3] κεφαλαῖον. — [4] Vide p. 178, n. 5. — [5] Ms. BYLMWN. — [6] βασταγή (ms. PSTG), quod secundum lexica 'sarcinae' significat, sed cf. p. 178.

ducam, pater meus epistulas huc ad me misit quas ad vos mitterem; et en ego eas per eius ipsius legatum misi, in quibus sunt omnia quae ei acciderunt, et omnia quae effecit, quae epistula[1] eius nota faciebat, quod vos etiam ibi notum facite. Nec
5 enim beatudinem vestram tot res[2] celare et neglegere decet, et praesertim sanctitudinem tuam decet sacrum patrem meum precibus vestris sanctis adiuvare ».

Hoc excerptum ex epistula regis Nobadum, quemadmodum totum factum divinum in ea testatur, hic narrationis confir-
10 mandae causa inserimus, qui duas etiam alias de eodem argumento scripsit, quas propter narrationis prolixitatem has[3] inserere praetermisimus.

Et, quoniam vis totius huius facti et operationis huius divinae ex his duabus epistulis episcopi et regis omnibus qui eas
15 legunt nota est, propter hoc de *parte* nostra narrationem de his *rebus* supervacaneo amplius dilatare nobis non placuit, sed, dum gratias agimus et obstipescimus, et nunc etiam de his *rebus* verbum Salvatoris nostri commemorare quod dicit, « Amen dico * vobis, 'Praedicabatur hoc evangelium regni in * p. 243.
20 omnibus populis, et tunc erit consummatio' »[4].

' Haec vero per Dei auxilium anno 891 ita gesta sunt, et a nobis in memoria inserta sunt.

Caput LIV, de latebra Pauli patriarchae. — Pauli igitur latebrae antea etiam mentionem fecimus ut credebatur, ut a
25 multis creditum erat eum in montibus Isauriae in spelunca delitescere[5]; nunc autem quemadmodum res quae postremo facta est notum facit et docet, sicut dicunt qui *res* investigare volunt, eum hos quattuor annos quibus non visus est, et credebatur eum in montibus Isauriae delitescere in montibus urbis
30 regiae delituisse[6]; quod nobis, cum eius incolae essemus, non cognitum et revelatum est usque ad consummationis eius finem, de quo consiliarii eius nos vel multos celatos esse crediderunt, et tribus tantum personis[7] sepulcrum eius revelatum

[1] ἐπίσταλμα. — [2] κεφαλαῖα. — [3] Sic. — [4] Matth., xxiv, 2, 14. — [5] Cap. xlvii. — [6] Sic sine verbo principali. — [7] πρόσωπον.

esse; sed stultos latuit verbum dominicum quod dicit, « Nihil celatum est quod non revelabitur »[1].

CAPUT LV, de Theodoro qui a Longino Alexandriae papa factus est. — Theodorus, qui a Longino Alexandriae episcopus factus est, per hos quattuor annos nullum omnino responsum ab ipso Paulo recepit, quamquam saepe ei scripsit, nec litteras quidem responsivas ab eo recepit; necnon Longinus populos hos qui in Aethiopia ulteriore christiani facti sunt ingressus erat. Et Theodorus ab omni parte sine consolatione relictus est, adeo ut * ⌈consilio inito[2] epistulam circularem ad totam partem Paulitarum faceret in qua incusationes et querelas in eum prolocutus est, quod eum adeo neglexerat et contempserat. Quam per presbyterorum suorum duo misit, qui ad urbem regiam pervenerunt. Quod cum omnibus cognitum esset, et praesertim cum incusationem et querelam ab his presbyteris audivissent, tum offensi sunt multi tum vituperationibus usi sunt; et ei scripserunt ubi eum esse credebatur, nec inventus est. Itaque excusatione et consolatione multa ad Cyprum insulam missi sunt, quod ibi quidam ex episcopis eis aderant. Itaque redierunt et apud eum[3] ingressi sunt, cum nihil profecissent, *ita* ut magis offenderetur, et tandem ipsemet surgeret, et Cyprum ingrederetur.

* p. 244.

CAPUT LVI, quomodo papa Theodorus Cyprum insulam ingressus sit. — Cum enim papa Theodorus per litteras et per personas[4] quas mittebat responsum sibi non fuisse vidisset, tandem nave ascensa Cyprum insulam ingressus est, nec eum invenit; episcoporum autem eius *nonnullos* invenit. Et, cum multa interea facta et commota essent nec Paulus coram eo apparuisset, episcopos duo adsumpsit qui cum eo Alexandriam ingrederentur; itaque offensus rediit, quoniam Paulum non ibi aut in Cilicia esse nec se ei ostendisse non credidit. Is vero, ut tandem cognitum est, totum tempus quattuor annorum, quo non visus erat et famam de eo divulgaverunt eum in spelunca

[1] MATTH., x, 26. — [2] Ms. 'uteretur et', de quo nihil facio. — [3] Sc. Theodorum. — [4] πρόσωπον.

montium Ciliciae et Isauriae delitescere ipse latenter in urbe regia delitescebat, quod nonnisi paucis cognitum et patefactum est. Quamobrem ibi etiam exitus eius eum oppressit, de quo etiam specialiter conscribemus.

5 * Caput LVII, de fine Pauli patriarchae quomodo fuerit. — Cum enim ut supra notum fecimus hos quattuor annos quibus Paulum in regionibus orientalibus delitescere credebatur ipse in monte urbis regiae fuisset, sicut morte eius hoc omnibus patefactum est et cognitum [1]. Cuius mortem etiam ipsam ut 10 celarent operam dederunt qui eum curabant, et ne eum mortalem saltem esse cognosceretur. Cum enim, ut dictum item cognitum est, quibusdam suorum consciis ad urbem ascendisset, et apud quosdam ex eis totum hoc tempus quod dictum est delituisset, in morbum acrem subito incidit, et paulo post mor- 15 tuus est. Et consternatio et pavor trepidus et multus eis incidit vel apud quos vel quibus consciis delituerat, ne *res* ad potestatum aures perveniret, et hi in periculum [2] propter eum inciderent. Itaque tres tantum personas [3] presbyterorum qui eum recipiebant arcessiverunt, et iuramenta dira ab eis adegerunt 20 eos hominibus notum non facturos istum esse patriarcham Paulum; sed eis praeceperunt ut si futurum esset ut *res* perciperetur dicerent, « Vir quidam peregrinus cui nomen fuit Christophorus ad hanc urbem venit, et mortuus est ». Quod etiam hi tres fecerunt; eumque noctu opertum ceperunt, et ad 25 monasterium quoddam mulierum ad sepulturam portaverunt. Quamobrem, cum moniales haec audivissent, territae sunt, dicentes, « Nos mortuum noctu tenebris non recipiemus, cum quis sit nescimus, vel [4] ne vir necatus sit et in periculum [5] incidamus ». Quas cum ei multum obsecrassent, dicentes, « Vir magnus 30 et iustus et peregrinus est, nolite timere », et cum eum recipere voluissent, eum * vultu operto introduxerunt. Et, cum eum in conditorium demittere turbati festinarent, moniales in contentione surrexerunt, dicentes, « Si igitur [6] *res* est ut dicitis, et verba vestra vera sunt, hunc esse virum magnum ac iustum, si-

* p. 245.
* p. 246.

[1] Ita clausula sine verbo principali relinquitur. — [2] κίνδυνος. — [3] πρόσωπον. — [4] Sic. — [5] κίνδυνος. — [6] ἄρα.

nite nos officio super eum rite fungi, et vultum eius detegite ut eum videamus et accedamus et ab eo benedicamur, et deinde eum in sepulcrum demittetis». Ei autem festinanter eum ligaverunt et sepeliverunt, dicentes, « Sinite nos eum nunc demittere, et abeamus quod tempus nos urget». Itaque eum 'sepultura asini'[1] confuse sepeliverunt, et abierunt. Quamobrem hae moniales, quae numero plusquam centum *et* quinquaginta erant, in dubitationes multas inciderunt.

Ab eis sermo dubietatum et coniecturarum multarum exiit, non solum in ipsa urbe et in Syria, sed etiam Alexandriae et ubique quando *res* cognita est, et Pauli mortem homines ubique loquebantur; sed hi adhuc iurare perstabant « Alius est qui mortuus est, non Mār Paulus patriarcha noster». Omnes autem urbis orthodoxi qui eum recipiebant murmuratione et offensione multa adfecti sunt, quod tribus eorum mortis eius secretum patefactum est, et ceteros celatum. Eum etiam multi tandem sine amore recordabantur, et praesertim cum adventum eius et in urbe habitationem et mortem eos celatam esse, et tribus eorum tantum patefactam didicissent, cum conscii eius sollertia mendace adhuc iurarent, « Non Paulus mortuus est; sed vivit». Quae ratione consiliorum suorum faciebant, ne adversarii gauderent; itaque totum tempus anni unius haec contentio duravit, et nomen eius ut vivus in diptychis vivorum proclamabatur, ne (ut dicebam) id cognosceretur et confirmaretur eum mortuum esse, cum omnibus cognitum esset.

* p. 247. * Caput LVIII, de excessu Pauli et Iacobi, quomodo confuse ambo alter post alterum fuerit[2]. — Cum igitur finem et excessum horum duorum beatorum, Iacobi dico et Pauli, quorum propter contentionem et dimicationem mutuam discidium magnum et dissensio acerba in ecclesia fidelium quae persecutionem patiebatur facta est, si[3] quis contemplabitur, ad mirationem magnam et haesitationem redigetur, quomodo horrende et repentino et obscure de vita terrestri ablati sint et hoc mundo exierint. Primus[4] enim beatus Iacobus ipso impetu contentionis et rixae eorum, duobus aliis episcopis et ceteris mona-

[1] Ier., xxii, 19. — [2] Sic. — [3] Ita clausula antecedens aliter iteratur. — [4] Cap. xxxiii.

chis secum adsumptis, cursum celerem Alexandriam tetenderunt[1]. Cuius ingressus eius causa multos celata est, et opiniones multae de ea multis fuerunt, et cogitationes crebrae. Et, quoniam is solus cui de creatura sua adiuvanda cura est iter eius ecclesiae et animae ipsius non profuturam fortasse vidit et cognovit, ingressum eius prohibuit et retinuit et vetuit. Et nonnulli de eo et de comitibus eius omnibus divulgaverunt, postquam evecti essent et traicere incepissent, procellam[2] violentam eis supervenisse, et navem eorum mersam esse et omnes in mari mortuos, nec cadavera eorum reperta; quod nonnullis clare non cognitum esse. Alii autem praeterea qui defensionem pro eo facere student dicunt, « ⸢Si vere[3] procella[2] eis supervenit, tamen navis eorum non mersa est, sed eiecti sunt[4] et ad Aegypti fines exierunt, et monasterium quoddam intraverunt quod in deserto *est* quod vocatur *monasterium* Casii; et cum monasterium illud intrassent intra tres dies duo episcopi primi mortui sunt, et deinde ipse Mār Iacobus, et alius quidam e diaconis eius quattuor eorum * una, alius post alium ». Utra autem harum *narrationum* vera sit Deus est qui scit; nobis vero harum *rerum* veritas exacta non cognita est. Rursus autem post tempus duorum circiter vel trium annorum de Paulo etiam turbate et extra omnem ordinem rectitudinis obitu eius actum est, secundum omnia quae in capitulo[5] antecedente summatim nota fecimus, aeque[6] occultim ut qui ea patraverunt putaverunt. De quibus *rebus* quid cogitare et scribere oportet, nisi tantum ut cum propheta ad Deum cum adflictione et doloribus clamemus et dicamus, « Si peccata nostra in nos testata sunt, Domine, miserere propter nomen tuum, quoniam multa est gratia tua et tibi peccavimus »[7]?

* p. 248.

CAPUT LIX, de eis quae post obitum ⸢Pauli et Iacobi[8] a partibus quae contra se invicem surrexerant dicta et patrata sunt. — Post obitum igitur Iacobi et Pauli partes quae ab utroque eorum surrexerant de unione mutua loqui inceperunt, nec

[1] Sic. — [2] χειμών. — [3] [illegible] hic fortasse adfirmative, ut saepe invenitur, et vertendum 'Vere quidem'. — [4] Sc. 'navis in littus delata est'. — [5] κεφαλαῖον. — [6] Aut 'ita', sc. 'ut antea dixi'. — [7] IER., XIV, 7. — [8] Litt. 'domus Pauli et d. Iacobi'.

recte et ratione humilitatis et timoris Dei inter se locuturi convenerunt, sed superbe ac procaciter, cum pars utraque se ipsam caput esse putaret, et alteram caudam, et altam[1] et excelsam et puram et omnis culpae expertem, et ipsa alteram subiugare et subicere cogitaret. Causam vero tot malorum et dis- 5 cidiorum et dissensionum pars utraque alteri aspergebat; et utraque earum in alteram superbe se gerebat; et utraque earum quasi paenitentia erga se *facta* recipere[2] et subicere instabat, secundum doctrinam et incitationem diaboli, qui eos invicem incitavit et erexit. Itaque via eorum ad culmen non as- 10 cendit.

* p. 249. * Caput LX, quomodo Petrus qui in Syria patriarcha factus est Alexandriam ingressus sit. — Petrus qui contra ordinem a quibusdam coactus est et in Syria patriarcha factus, cum Paulus adhuc inter vivos esset, sua ipsius primum conscientia 15 et deinde a multis propterea correptus pro eo quod in throno[3] alius cum is in corpore vivus *esset* haud canonice *patriarcha* factus erat, cum tandem ambae partes de unione mutua loqui incepissent, et tota pars Paulitarum contra Petrum propterea contenderent quod cum Paulus vivus *esset* praeter eum *patriar-* 20 *cha* factus erat, ‘ sive per occasionem sive per veritatem ’[4] aut astutia fraudulenta dicere incepit: « Mea de causa ne sit contentio. Ego me abdicabo et abibo et quietus sedebo; et partes inter se uniantur, et alium qui utrique parte placebit sibi statuant, et unio inter eos fiat ». Et, cum quae ab eo dicebantur 25 multis placuissent, quasi humilitatis et pacis personam[5] gererent, alii tamen accusatorie contra eum itemque in faciem eum accusabant, dicentes: « Fraudulenter et astute nec vere e corde puro haec dicis; sed quia scis fautores tuos qui te statuerunt tibi non permissuros[6], necnon quod Alexandriam[7] praeten- 30 des ». Cum vero haec praeter multa *alia* a multis audivisset, ut de se ipso ostenderet se revera unioni studere, surrexit *et* nonnullis e fautoribus suis adsumptis Alexandriam ingressus est, ut eos de unione (ut dicebat) adhortaretur, cum Damiano

[1] Sc. se. — [2] Sc. alteram. — [3] θρόνος. — [4] *Phil.*, I, 18. — [5] πρόσωπον. — [6] Vel ‘te non relicturos’. — [7] Legendum fortasse ‘Alexandrinos’.

quem ei etiam super se principem statuerant. Et multa sunt quae inter eos commota et dicta sunt, quando secundum verbum apostolicum supra citatum ‘ sive per occasionem sive per veritatem ’ de unione * multum loqui et disceptare visus est, et ei adversati sunt, nec quae ab eo dicta sunt acceperunt. Itaque ut putatur animo offenso inde exiit, quod a nonnullis callide et dolose factum esse putatum est. Deus autem qui mentem et cor scrutatur is harum *rerum* veritatem scit. * p. 250.

Quia autem concordia mutua inde exierunt, hac de causa de eo putatum est eum habitu[1] ficto ingressum esse et inde exiisse; pro eo quod postea etiam in contentione stabat, dicens, « Ego sine Alexandrinis nihil faciam ».

Caput LXI, de conciliis[2] episcoporum ambarum partium et ceterorum quae tempus plus minus anni unius contra se invicem contendebant, et secum invicem disceptabant. — Post omnia haec igitur concilia ambarum partium, episcoporum videlicet et monachorum et ceterorum, tempus aliquantum circa unum annum plenum contendere et in locis diversis convenire perstiterunt, et commeare et ad se invicem mittere, et postulationes graves ac duras se invicem postulare, et sicut supra notum fecimus[3] superbe et imperiose, nec fraterne et amice se invicem postulabant, primum *per viros* quosdam ex utraque parte, et postea per litteras quas contra se invicem *scribebant*, et, postquam solutum est et surrexit[4], incitatores quidam et contentiosi inventi sunt tum ex eis ipsis et inter eos, tum porro et ex aliis etiam qui pacem impediebant; et contentionem inter partes iniecerunt, et ad omnem inimicitiam mutuam conversi chartas[5] postquam inter eos factae sunt sciderunt, et litteras quas in se invicem *scribebant* ad urbem regiam * et ad orientem et ad occidentem emittere[6] inceperunt, cum pars utraque se ipsam a parte innocentium collocaret, et in alteram contumelias et omnia quae ad condemnationem conferunt iacularetur[7], cum contumeliis[8] et mendacii commento, dum litte- * p. 251.

[1] σχῆμα. — [2] Ms. ‘concilio’; vide l. 16. — [3] Cap. LIX. — [4] Sc. concilium, sed fem. offendit. — [5] χάρτης. — [6] Litt. ‘volare facere’. — [7] Litt. ‘currere faciebat’. — [8] Sic iteratum est.

ras etiam inimicas alterorum contra alteros et incusationem duram omnes adhibent, *ita* ut ad nos etiam et ad multos qui in urbe regia *erant* haec actorum[1] ratione mitterentur. Nec solum pacis legati ad se invicem esse non meruerunt[2], et[3] in omni dissensione et discidio et contentione et inimicitia mutua in praesens manserunt, et in tanta intemperie quae Satanae gratum facit, qui ' petivit ut nos cribraret sicut grana tritici '[4]. Quamobrem per saevitiam et licentiam ambarum partium, qui sine scrutatione timoris Dei ad se invicem accesserunt, et victoriam etiam adeptus est[5], et iam cum omnibus armentis et gregibus daemonum suorum saltat et gaudet, et eis quae inter duas partes *facta sunt* gratulatur, quae ab initio eorum, et nunc usque etiam *fiunt,* quod est annus 896, quo de tot rebus infinitis ex infinitate earum paulum litteris datum est.

Liber IV historiarum ecclesiae finitus est, in quo comprehenduntur capita sexaginta unum.

Capita libri V historiarum ecclesiae, primo de eis qui sicut pagani deos proclamant, et ceteris *rebus;* et post capita duodecim quae de his *rebus tractant,* item de temporibus regni victoris Mauricii regis; quod initio libri collocari debebat, nec ad manum venit.

* p. 252. Caput I, de ea *re,* * unde Tritheitae ordinationem[6] facere inceperint. II, de eodem argumento. III, de eisdem ⌈Conone et Eugenio[7] haeresis principibus. IV, quomodo Conon exsilio[8] solutus sit. V, quomodo Tritheitae in duas partes divisi sint. VI, quomodo ambo ad regionem Pamphyliae *homines* in errorem inducturi iverint, et Eugenius ibi mortuus sit. VII, de eis quae ad Cononem a Iohanne Asiae *litteris* missa sunt. VIII, de fraude[9] Tritheitarum qui astutia dolosa nec veritate se uniri quaerere prae se ferebant. IX, quomodo Alexandriae etiam itemque in Syria eadem perpetraverint. X, de libro magno excerptorum quem Tritheitae fecerunt. XI, de conventiculo[10]

[1] πεπραγμένα. — [2] Melius esset 'dignati sunt', et ita, ut videtur, Sm. et Schönf., sed vox hoc sensu incognita est. — [3] Requiritur 'sed etiam'. — [4] Luc., xxii, 31. — [5] Sc. Satanas. — [6] χειροτονία. — [7] Litt. '*viris* domus Cononis et Eugenii'. — [8] ἐξορία. — [9] ἐπίθεσις. — [10] P. 198, l. 1 ' conventiculis '.

episcoporum Tritheitarum. XII, de episcopo quodam ex eisdem Tritheitis, qui ad orthodoxiam[1] reversus est. XIII, de tempore regni Mauricii victoris, quod secundum ordinem rectum initio libri scribi oportebat nisi quod ita ad manum venit. XIV, de eodem rege
5 Mauricio, et de festo nuptiali quod sibi fecit, et de filio quem postea in palatio[2] genuit, et de ceteris *rebus*. XV, de eis qui fidei praetextu nonnullis incidere solebant et *res* aliorum praedari et furari, nec[3] regem contrá orthodoxos docere desierunt. XVI, de persecutione ecclesiae Arianorum. XVII, de Gregorio episcopo Antiochiae, et
10 quomodo ad urbem regiam ascenderit, et de eo quod a rege rogavit. XVIII, de parentibus eius et fratribus et sororibus et cognatis plurimis quos[4] rex Mauricius ad se ad urbem regiam arcessivit et ditavit et magnificavit. XIX, de Domitiano metropolita Melitenes urbis regis cognato. XX, quomodo Mauricius rex factus palatii[2] gazas
15 exhaustas invenerit, et in vexationem et angustiam pervenerit. XXI de turbatoribus et persecutoribus et aliorum spoliatoribus * qui regis Mauricii aures et ceteros *homines* eius adsidue vexabant. XXII, de aedificatione Arabissi urbis desertae Cappadociae unde rex Mauricius genere[5] est. XXIII, quomodo Arabissus urbs duobus annis plus
20 minus post aedificationem suam terraemotibus eversa sit.

* p. 253.

LIBER V

Liber V partis III *historiae* ecclesiasticae[6] de historiis ecclesiae et ceteris rebus.

Caput I, de causa initii unde Tritheitae ordinationem[7] fa-
25 cere inceperint, et tractus omnes in haeresi eorum audace et foeda episcopis implere. — Cum enim primum *viri* duo Conon et Eugenius de Cilicia episcopi eiusdem haeresis principium facti essent[8]; quorum, cum haeresis eorum patefacta et cognita esset, et multi eos valde vituperarent et admonerent,
30 nec se convertissent, deinde excommunicatio et depositio[9] facta est. Ei autem et Athanasius filius filiae Theodorae reginae, qui ipse per aurum multum quod spargebat haeresim auxit et magnificavit, una operam dabant ut episcopi secundum cano-

[1] ὀρθοδοξία. — [2] παλάτιον. — [3] Ms. ‘non’. — [4] Ms. om. — [5] γένος. — [6] ἐκκλησιαστική. — [7] χειροτονία. — [8] Clausula sine verbo principali relicta est. — [9] καθαίρεσις.

nem tres invenirentur et episcopos[1] crearent. Qui Iohannem Ephesi, qui in urbe regia habitabat, et omnibus negotiis[2] omnium conventiculorum fidelium qui in ea et ubique *erant* praefectus erat, honore adficere eique blandiri inceperunt, et operam dabant ut muneribus ac donis eum subigerent, eisque ob- 5 temperaret et cum eis esset et episcopos crearent. Et cum is
*p. 254. eis non obtemperasset, *sed et eos valde vituperaret, et cum eis disputaret tum eos haereticos esse, et Arianos et Macedonianos et Nestorianos et ceteras haereses ab eis multo superari demonstravit. Quamobrem, cum illum illudere et decipere non 10 potuissent, Theonas quidam urbem forte advenit qui, cum mandatu Theodosii patriarchae episcopus creatus esset, tum occasio tandem in eum reperta est et eum loco movit, itaque ut vacans circumvagabatur. Hic ab eis delusus est, et donis deceptum ambo Conon et Eugenius eum adsumpserunt, et cum eo 15 episcopos multos creaverunt, quos quoquoversus miserunt haeresim suam dilataturos.

Caput II, de eodem argumento, quomodo de se multos episcopos creaverint et quoquoversus miserint. — Cum autem extra regulas et canones ecclesiae a viro qui episcopatu motus erat 20 ⌈Conon et Eugenius[3] principes haeresis pluralitatis deorum initium episcoporum fecissent, tum temere quicunque eis obvenit, sive qui puer *erat* sive qui senex, sive qui idiota sive qui sapiens, et, ut *ita* dicamus, omnes discipulos suos et notarios et quicunque praesto fuit episcopum creaverunt, et ad tractus 25 et regiones emiserunt, adeo ut Romae et Corinthi et Athenis et in Africa conventicula instituerent et creaturas ⌈post se[4] deciperent. Ipsum vero patricium Narsem Romae decipere studuerunt; cum selectos quosdam de se fratres duos unius matris filios Phocam et Theodosium secum ascendere facerent, et 30 labor eorum haud parvus *esset;* qui faciem ab eis avertit, nec eos accepit. Cubiculariorum vero nonnullos et principum qui cum eo *erant* et ⌈magistros militum[5] deceperunt.

[1] Ms. 'episcopum', sed vide infra, l. 6, 16, 18, 22. — [2] Aut 'vectigalibus' (ita Sm. et Schönf.). — [3] Litt. '*viri* domus Cononis et Eugenii'. — [4] Sc. 'ut eos sequerentur'. — [5] στρατηλάται.

* Caput III, de eisdem ⌈Conone et Eugenio[1] haeresis principibus et sociis eorum. — Ipsi vero ⌈Conon et Eugenius[2] haeresis principes etiam postquam anathematizati sunt in urbe regia permanserunt, dum importune disceptant et decipiunt, cum multos etiam sollicitarent et ingressi regi accusationes facerent, quasi iniuria et iniquitate adficerentur. Et rex ad patriarcham urbis mandatum fecit, qui ambas partes coram se et coram synodo suo, qui omnes inimici[3] erant, litem inter se facturos congregavit; de quibus *rebus* omnibus in libris aliis notitia a nobis data est[4]. Et haec perpetrabant, donec Iustinus rex persecutionem duram instituit, eosque ad Palaestinam in exsilium[5] per Photium relegavit, Cononem videlicet et Eugenium[6], cum ceteri omnes extra in regionibus totius Syriae et Ciliciae et Isauriae et Cappadociae exinde circumirent, et deciperent et sacerdotes et diaconos in ecclesiis et monasteriis et urbibus et pagis facerent, adeo ut regiones multas deceperint, et haeresim suam valde dilataverint. * p. 255.

Caput IV quomodo Conon exsilio[5] solutus sit. — Quoniam igitur secundum morem priorem multi Cononi adhaerebant, quia domus eius sub palatio[7] erat, et campagis[8] suis *vestiti* descendebant et clam *eucharistiam* recipiebant, et ascendebant et ante regem stabant nec cognoscebantur, hac de causa et quoniam se ut humilem et iustum exhibebat, multi congregati pro eo supplicaverunt et solutus est et monasterio * in quo inclusus erat exiit, et ad pagum qui vocatur Aulae[9] ivit, et in eo in monasterio mulierum habitabat, cum omnes exinde, et praesertim Cilices et Isauri qui errori eorum adhaerebant, ad eum eodem modo ut ad unum ex apostolis currebant eumque extollebant, et post eum magis errabant. Tandem vero in duas haereses divisi sunt, et sibi invicem adversati sunt. * p. 256.

Caput V, quomodo Tritheitae in duas haereses divisi sint. — De errore autem et dissensione eorum qui deos proclamant, et

[1] Litt. '*viris* domus Cononis et Eugenii'. — [2] Litt. '*viri* domus Cononis et Eugenii'. — [3] Sc. chalcedonii. Perperam Sm. et Schönf. — [4] In parte II (Mich., ii, p. 258 seqq.). — [5] ἐξορία. — [6] I, xxxi. — [7] παλάτιον. — [8] καμπάγια. — [9] In Cilicia (Steph. Byz.).

de causis unde ad haec pervenerunt in libris qui his antecedunt notitia a nobis breviter data est [1], et de scriptis perniciosis erroris Iohannis grammatici Alexandriae, quorum unus primus eos omnes in errorem induxit et mersit, quem omnes pariter amplectebantur, eumque ut evangelium [2] circumferunt, eoque 5 gloriantur, cum multa sunt quae interea gesta sunt, ita ut nonnulla eorum memoriis tradita sint, cetera autem propter copiam multitudinis eorum non inclusa sint et exscripta. *Est* enim et scriptum secundum eiusdem Iohannis grammatici quod postremo ad eos pervenit, quod his corporibus resurrectionem 10 non esse docet, sed corpora alia fieri, et ea ad resurrectionem a domo mortuorum pervenire, quod praesertim eos in errorem induxit et in duas haereses divisit, quae ambae se invicem foeditate superant. Quamobrem pars eorum scriptum secundum non acceperunt sed contra id contenderunt idque conviciati 15 *p. 257. sunt et anathematizaverunt, et pars id similiter * magis quam scripta prophetarum et apostolorum acceperunt. Itaque contenderunt et sibi invicem adversati sunt, et divisi sunt et se separaverunt, et se invicem anathematizaverunt, et se invicem litteris valde traduxerunt. Et haereses ambae sibi invicem ad- 20 versari perstant.

Caput VI, quomodo ambo [3] ad regionem Pamphyliae homines in errorem inducturi iverint, et Eugenius ibi mortuus sit. — Regio igitur Pamphyliae ex initio orthodoxorum erat, et pagi magni ac multi cum ecclesiis et monasteria multa virorum 25 et mulierum in ea sunt, quia tempore schismatis eorum qui vocantur Acephali, quod est ‘ sine capite ’, multi eorum se disiunxerunt et ad regionem exierunt, qui zelo ac studio orthodoxorum qui ibi *erant* conversi sunt omnes et ad orthodoxiam [4] venerunt. Itaque omnes una zelum fidei veritatis rece- 30 perunt. Et episcopi orthodoxi saepe mittebantur et *regionem* intrabant eosque visitabant, et quae rebus ecclesiasticis deerant faciebant, consecrationem videlicet altarium et ecclesiarum novarum et monasteriorum quae ibi fiebant, et sacerdotes multos faciebant, et cetera quae fieri debebant. Quamobrem 35

[1] In parte II (Mich., ii, p. 251 seqq.). — [2] εὐαγγέλιον. — [3] Sc. Conon et Eugenius. — [4] ὀρθοδοξία.

hic Eugenius iniquus (?) qui in haeresim incidit bis ut ipsi scimus ad regionem illam mittebatur, necnon ad alios episcopos (?). Tandem vero ambo Conon et Eugenius zelo moti sunt ut regionem illam adirent, eamque in errorem inducerent et
5 haeresi suae adderent; quod etiam studiose perpetraverunt. Qui cum ibi commorarentur, Eugenium finis eius oppressit, et ibi mortuus est. Conon autem ad urbem regiam reversus est.

* Caput VII, de eis quae ad Cononem a Iohanne Asiae in urbe regia litteris missa sunt, et de causa ob quam illuc ivit. * p. 258.
10 — Antequam igitur haeresis eorundem Tritheitarum in duas divideretur, Athanasianorum videlicet a Cononitis, Athanasius bonorum[1] suorum testamentum[2] fecerat, et regem et reginam haeredes instituit. Et, servis suis manumissis, unicuique eorum legatum[3] reliquit, et multis aliis; et ipsi Cononi etiam
15 aurum haud parvum reliquit, ut per eum omne distribueretur. Ipsi autem libras[4] decem reliquit, quas ex bonis[1] eius statim reciperet, et[5] praeter has, quantum *tempus* victurus esset, duas libras[4] quotannis reciperet. Hoc testamentum[2] Athanasius obsignavit et conservavit, antequam dissensio inter eos
20 fieret. Quamobrem *dissensione* facta cum se invicem anathematizassent, itemque libros conviciorum in se invicem tandem palam[6] edidissent, cum Athanasius testamentum[2] mutare et Cononem excludere in animo haberet, subito mortuus est; et, cum testamentum[2] apertum esset, quemadmodum in ea scriptum
25 erat recipere repertus est, cum eum qui id reliquit anathematizaret; et ob hanc causam urbem regiam advenit. Quamobrem cum in ea esset Iohannes Asiae, quod est Ephesi, eum obtestans, litteras ad eum misit, « Quamdiu animo non reputas, O sapiens, te mortalem esse, et ante tribunal[7] illud terribile ae-
30 quitatis collo nudo staturum esse, et fore ut a te postuletur ut pro eo responsum des quod rabbi vocaris[8], et in discidio ecclesiae Dei vivi qui ‘ se ipsum tradidit pro ea ’[9] manus tuae oscula accipiunt? Quare in tanto callo ita perstitisti, * cum omnes qui in utraque parte nostra et vestra fuerunt ad Deum abiisse * p. 259.

[1] οὐσια. — [2] διαθήκη. — [3] ληγᾶτον. — [4] λίτρα. — [5] Sic sine connexione grammatica. — [6] δημοσία. — [7] βῆμα. — [8] Matth., xxiii, 8. — [9] *Eph.*, v, 25.

scias, et en tu et exiguitas mea nunc usque in corpore vivi superfuerimus? Omnibus irritamentis quae a Satana veniunt temperemus, et mansuetudinem et humilitatem Christi Dei nostri induamus [1], et ambo alter ad alterum amore accedamus, et hanc contentionem ac discidium dimittamus; et, sicut male nostris diebus et nobis praesentibus factum est, ita etiam nunc, dum in corpore sumus, opera data maceriam inimicitiae solvamus [2] nec corruptio ita in ecclesia Dei duraverit ». Qui cum audivisset dixit, « Ego etiam *hoc* quaero », nec responsum [3] amplius dedit; sed, auro quod ei relictum erat sumpto, ad Ciliciam exiit, et ibi eadem haeresi sua ut ebrius delectatur.

Caput VIII, de fraude [4] Tritheitarum, qui astutia dolosa nec veritate se uniri quaerere prae se ferebant. — Cum igitur qui essentias et naturas et deitates proclamant ab omnibus reprehenderentur, itemque a corde suo contemnerentur, saepe ' vestimentis agnorum ' [5] *induti* ut ecclesiae orthodoxorum uniantur palam obsecrant, e qua prodierunt, sed non fuerunt ex ea; si enim ex ea fuissent, in ea permanerent [6]. Qui dolo cordis sui celato se uniri quaerere dicebant; et, quando locuturi advenerunt, et se convertere postulabantur et eo abstinere ut essentias [7] et naturas in Trinitate non [8] dicerent, ne ex his pluralitas deorum et deitatum sicut pagani [9] Christianismum intraret, statim aufugiebant et recusabant, dicentes, « Numeros essentiarum et naturarum non dicere non possumus ». Et deinde in eos referebant, « Fides ecclesiae unum Deum confitetur, qui tribus hypostasibus * Patris et Filii et Spiritus Sancti declaratur. Hypostases tres *sunt*, nomina tria, Deitas una, et essentia una, natura una, dominatio una, et potentia et voluntas et regnum, et auctoritas et imperium in caelo et in terra. Unus tres *est*, et tres unus *sunt* sine divisione et sine confusione. Et quomodo vos, dum numerum essentiarum et naturarum dicitis [10], etiamsi aperte non confiteamini, quasi ex his greges deorum ut pagani in ecclesiam catholicam introducere vultis, cum specie [11] nec revera uniri quaeritis, et ut ecclesiam totam dolo in

* p. 260.

[1] *Col.*, III, 12. — [2] *Eph.*, II, 14. — [3] ἀπόκρισις. — [4] ἐπίθεσις. — [5] Matth., VII, 17. — [6] I Ioh., II, 19. — [7] οὐσίας. — [8] Sic contra sensum. — [9] Sic sine constructione. — [10] Ms. om. — [11] σχῆμα.

errorem inducatis et ad haeresim vestram trahatis excogitatis et operam datis? » Itaque pudefacti et ignominia adfecti dimittebantur; et hoc saepe in urbe regia et in aliis locis dolose nec revera faciebant.

5 Caput IX, quomodo Alexandriae etiam et in Syria eadem perpetraverint. — Cum enim eadem et Alexandriae et in Syria saepe ab eis perpetrarentur, cum se eos qui in urbe regia *erant* illudere non potuisse vidissent, abierunt *et*, Alexandriam ingressi, libellum [1] fecerunt, cui confessionem suam callide in-
10 seruerunt, et Damiano qui Petro ibi successerat obtulerunt. Et, cum is quoque ab eis postulasset ut numerum pluralitatis naturarum et essentiarum abdicarent, necnon ut Iohannem grammaticum et duo libros eius, qui ipsi eos in errorem induxerunt, anathematizarent, unum posteriorem de corporibus non resur-
15 gentibus se anathematizare prae se ferebant, priorem vero de pluralitate deorum respuere vel * anathematizare abnuerunt. * p. 261.
Deinde is eos anathematizavit et reiecit. Quemadmodum [2] in Syria etiam hoc saepe rursus perpetraverunt. Et tandem, cum fraudes suas non stare vidissent, ipsi in eadem haeresis cor-
20 ruptione et nunc usque etiam perstiterunt.

Caput X, de libro magno excerptorum quem Tritheitae excerpserunt et fecerunt. — Ei igitur inter eosdem Tritheitas qui de se ipsis putaverunt se philosophos [3] esse librum magnum de corpore vivo librorum sanctorum excerpserunt, quos haere-
25 sim eorum confirmare et comprobare opinantur, quae [4] ea sunt quae Dei lex [5] jubet [6], « Carnem quae a bestiis discerpta est non comedetis » [7]. Qui eodem modo ipsi etiam membra mortua de argumentis patrum sanctorum excerpserunt, ut, sicut opinantur, omnes patres ipsos etiam eorum instar numerum natu-
30 rarum multarum et [8] οὐσιῶν, essentiarum videlicet multarum, introducere et docere ostenderent, *ita* ut ex hoc quamquam *id* non opinati sunt numerum etiam deitatum et deorum multorum sicut pagani docere et proclamare convincantur.

[1] λίβελλον. — [2] Aut 'quamobrem'. — [3] φιλόσοφος. — [4] Sc. excerpta. — [5] νόμος. — [6] Sic. — [7] *Ex.*, XXXII, 31. — [8] Ms. om.

Caput XI, de conventiculis episcoporum Tritheitarum. — Ei enim etiam qui pluralitatem deorum docent adseclae Cononis et Eugenii, cum haeresis suae augendae et confirmandae causa multos episcopos fecissent et quoquoversus misissent,[1] sicut in urbe regia etiam multi eorum permanserunt, et conventicula 5 magna instituerunt, pro eo quod Iohannes urbis regiae eis ab
*p. 262. initio opem tulit, et fiducia[2] intrepida populus multus *ad eos congregabatur, et, mortuo Iohanne, cum Eutychius post eum advenisset, eos qui a fautoribus haeresis eius, qui resurrectionem corporum negant, se disiunxerunt ⌜misit et[3] com- 10 prehendit quemcunque ibi invenit, et ministerium eorum totum arripuit, et altaria eorum evertit ac deiecit, et episcopos eorum et ceteros comprehendit, eosque in monasteriis inclusit, in quibus diu fuerunt.

Caput XII, de episcopo quodam ex eisdem Tritheitis qui ad 15 orthodoxos reversus est, et libello[4] facto eos anathematizavit. — Episcopus autem quidam e notissimis quos Cononitae in regione Ciliciae fecerunt, cum haeresis eorum errorem agnovisset et intellexisset, eos aversatus libello[4] ad orthodoxos facta Cononitas et haeresim eorum anathematizavit, et fidelium par- 20 ti adiectus est.

Caput XIII, de tempore regni Mauricii victoris, quod secundum ordinem rectum initio libri scribi oportebat, nisi quod ita ad manum venit. — Post obitum Iustiniani regis, qui fuit die mensis tešrin posterioris[5], *die* 14° eius, anni 876, cum an- 25 nos xxxix regnasset, Iustinus filius sororis eius post eum regnavit *tempus* annorum xiii diebus xl minus. Et interea, cum morbus castigationis durae eum oppressisset, Tiberium *ut* Caesarem sedere fecit die mensis kānun prioris[6] *die* 7° eius anni 886, corona vero regni Iustinus eum vivus dignatus est, cum se 30 ad mortem compulsum esse vidisset; eumque *ut* regem vivus sedere fecit, cum ipse in mortis debilitate iaceret. Vixit vero
*p. 263. cum eo, *postquam regnavit Tiberius, dies ix, et mortuus est.

[1] Clausula sine verbo principali relicta est. — [2] παῤῥησία. — [3] Sc. nuntiis missis. — [4] λίβελλον. — [5] Novembris. — [6] Decembris.

Et, cum Tiberius *ut* Caesar annos IV sedisset, et postquam *ut* imperator [1] apparuit *tempus* amplius annorum IV diebus XXXI minus, morbo duro mortali aegrotavit; et, cum compulsus esset, ipse etiam *ut* Caesarem sedere fecit comitem Mauricium cappa-
5 docem, die mensis āb [2] *die* quinto eius anni 893, cum ante paucos dies a regione Orientis advenisset, quod ibi super omnes duces Romanorum princeps et ductor creatus erat, quemadmodum in capitibus antecedentibus notitia de *his rebus* a nobis data est [3]. Nominavit vero et eum etiam Tiberium. Cum
10 eo autem et filiam suam minorem regnare fecit cui nomen fuit Augusta; et eam etiam nominavit Constantinam, eamque statim Mauricio uxorem dedit. Vixit vero cum eis dies VIII; et cum se compulsum esse vidisset ante mortem suam die uno regni diadema Mauricio imposuit; et ipse in processu [4] Hebdo-
15 mi de mundo exiit. Itaque eum in urbem in palatium [5] introduxerunt, et secundum legem [6] regum sepultus est.

CAPUT XIV, de eodem rege Mauricio, et de festo nuptiali quod sibi fecit, et de filio quem postea in palatio [5] genuit, et de ceteris *rebus*. — Dei amans igitur rex Mauricius, cum in
20 solio regni consedisset, et *ut* imperator [1] apparuisset et agnitus esset, et res quae dignitati regiae congruunt curare incepisset, post paulum, cum luctus regis Tiberii praeteriisset, apparatus magnos paravit, et res regales instituit, cum phantasiis [7] multis quae regum dignitati congruunt, * de quibus sine labore * p. 264.
25 multo narrare haud facile est cuiquam, quemadmodum nec finis nobis praepositus eiusmodi est ut his *rebus* vacemus, nisi tantum ut memoriis de *rebus* aliquot ex eis utemur, quae ecclesiae historiis conveniunt, quibuscum finis operis nostri rationem habet. Terminatis igitur nuptiis regalibus, quae mune-
30 ribus multis et splendoribus regiis enitebant, tum postea facta est conceptio, et tempore suo filius eis in purpuris natus est, die mensis āb [8] *die* 4° eius anni 894, cuius nomen vocaverunt Theodosium, propter exemplum Theodosii minoris, qui a *tem-*

[1] αὐτοκράτωρ. — [2] Augusti. — [3] III, XL; cf. VI, XIV, XXVII. — [4] προάκενσον, sc. palatium suburbanum; cf. p. 118, n. 6. — [5] παλάτιον. — [6] νόμος. — [7] φαντασία. — [8] Augusti.

pore domus Constantini et deinceps ipse solus in purpuris natus est; neque enim ipse alium in purpuris genuit, nec ei etiam qui post eum reges facti sunt, Marcianus[1] et Leo et Zeno et Anastasius et Iustinus et Iustinianus et Iustinus alter et Tiberius, usque ad ipsum Mauricium. Quamobrem, cum huic filius natus esset, multi eo gavisi sunt, pro eo praesertim quod personae[2] aliae quae nulla omnino ratione idoneae erant facies suas firmaverant[3] et operam dabant ut regnum vi arriperent, et die quo hic natus est consilia eorum exstincta et irrita facta sunt. Quamobrem in circo[4] etiam populus urbis cum eum laudarent voces[5] ad eum clamaverunt, dicentes, « Bene Deus te dedit, et nos servitio multorum liberasti ». Statim vero huic ipsi oblationes oblatae sunt et munera et dona multa ab omnibus primoribus viris ac mulieribus et senatu[6] et ceteris, cum unusquisque ut socium suum magnitudine munerum a se oblatorum superaret reverentia magna operam daret et studeret.

* p. 265. * Caput XV, de eis qui fidei praetextu nonnullis incidere solebant et *res* aliorum praedari ac furari, nec regem contra orthodoxos docere desierunt. — Ab ipso igitur initio regni Dei amantis Mauricii perturbatores et fures supradicti eum contra orthodoxos incitare et commovere non desierunt, dum eos malorum multorum et criminum falsorum accusant, quamquam is quid esset quod tenerent, et ob quam causam contra se invicem divisi essent nesciebat. Quamobrem, cum eum adsidue incitarent et commoverent, ira incensus misit *et* patriarcham advocavit, eique mandavit ut mitteret eosque comprehenderet et includeret ne convenirent.

Deinde Iohannes patriarcha[7], utpote qui de rebus paganorum se adflictaret et contristaretur, quod, postquam velut Dei operatione ita detecti et patefacti et cogniti et a se invicem convicti sunt, et acta[8] de omnibus fuerunt, nec eorum[9] tantum qui in urbe regia *erant*, sed et qui in omni regione et urbe, quemadmodum etiam in capitibus quae his antecedunt fuse

[1] Litt. '*viri* domus Marciani' etc. — [2] πρόσωπα. — [3] Litt. 'facies eorum firmatae erant'. — [4] ἱππικός. — [5] φωνάς. — [6] σύγκλητος. — [7] Subiectum sine verbo relictum est. — [8] πεπραγμένα. — [9] Sic.

notum fecimus[1], et senatus[2] pars magna harum *rerum* convicti sunt, *ita* ut ipse rex perturbaretur quod statim initio regni eius haec acciderunt, ne primoribus suis nudaretur, et totum senatum[2] suum occideret ac perderet, deinde destitit et re ne-
5 glecta negotium abscondidit; cum pauci eorum tantum mortui essent, et pars etiam in exsilium[3] exiissent et ceteri ita mansissent, in honoribus ac muneribus suis relicti. Qua de causa patriarcha insolabiliter contristabatur, *ita* ut quando eum orthodoxos persequi et comprehendere iussit, is ei cum indignatione
10 respondit, dicens: « Num ita Deus etiam * satis habet si, cum * p. 266. paganos postquam paganismus eorum detectus et omnibus cognitus est iustificavimus et liberavimus et reliquimus, nunc quando hos ⌜insontes iudicavimus[4], Christianos pro eis persequimur et condemnamus et occidimus? et num hae sunt aequita-
15 tis leges[5]? Quid dicunt aut faciunt διακρινόμενοι ut eos persequamur. Sit vero regiae dignitati tuae notum, cum pagani iustificati et soluti sunt, nec munere suo saltem quisquam eorum motus est, quomodo[6] Christianos persecuturus sim qui in christianismo suo haud vituperantur, et magis quam nos se
20 fideles esse opinantur ». Itaque persecutionem illo tempore repressit.

Caput XVI, de persecutione ecclesiae Arianorum. — Post paulum autem, cum hi perturbatores ut conventiculis fidelium inciderent saepe rogavissent, nec eis obtemperasset, in conven-
25 ticula Arianorum occasiones contexuerunt et accusationes multiplicaverunt, et tota cohors[7] eorum congregata est, et profecti ecclesiae Arianorum inciderunt, quae extra urbem in palatio reginae congregabatur; eisque cum congregarentur et offerrent inciderunt; et altari eorum everso oblationem eorum ad
30 terram deiecerunt; et totum ministerium eorum abstulerunt, et libros eorum et cetera quidquid in manus eorum incidit; eosque traxerunt et in cancellum[8] ecclesiae introductos incluserunt. De quibus etiam porro et de ceteris aliis ibi inclusis verbum Domini nostri convenit quod dicit: « Amen dico tibi,

[1] III, xxvii-xxxiv. — [2] σύγκλητος. — [3] ἐξορία. — [4] Litt. ‘innocentiae praefecimus’. — [5] νόμος. — [6] Sic. — [7] σπεῖρα. — [8] κάγκελλος.

non exibis inde donec des novissimum quadrantem »[1]; quemadmodum hi etiam novissimum quadrantem vitae suae dare postulantur, itaque inde exierunt.

* p. 267. Caput XVII, de Gregorio episcopo * Antiochiae, et quomodo ad urbem regiam ascenderit, et de eo quod a rege rogavit. — 5 Quoniam igitur, quando quaestio de paganis facta est, tum in urbe regia tum Antiochiae tum ubique, nonnulla et de beato[2] Gregorio etiam Antiochiae dicta sunt, ita ut tota urbs contra eum incitaretur ut eum incenderent, clamantes, « Hic ad ignem, et patriarcha christianus urbi », cum multis aliis *vocibus*, et, 10 quando totum negotium ubique propter personas[3] magnas et insignes absconditum et corruptum et irritum factum est, ita compressum est, et hic etiam mansit, cum populus totus contra eum incitatus esset et in eo offensus. Post tempus *aliquantum* autem se paravit ut ad regem ascenderet, et sibi auri et argen- 15 ti et vestium splendidarum ac multarum omnium generum[4] copiam paravit, et ceteras res quae muneribus et xeniis quae primoribus senatus[5] daret idoneae erant, ita[6] ut, quemadmodum dicebatur, iter eius centenariorum multorum constaret. Quamobrem, cum ad urbem pervenisset, totum senatum[5] viros 20 primores et mulieres donis suis satiavit, et omnes filios ecclesiae qui ei propter paganismi famam irati erant donis suis placavit et sedavit, et praeter hos omnes patriarchae propinquos[7] qui, cum eum ascendisse audivisset, cum eo non communicare decrevit; et, quoniam ipse pretium non accipiebat, qui 25 cum eo conversabantur, *suasioni* obsecuti, ei persuaserunt, et eum recepit. Et rex etiam, et totus senatus[5] eum cum honore receperunt, cum omnes ab eo fecissent; et, cum actionem in eum institutum iri nec eum ad sedem suam rediturum a multis putaretur receptus est; et, cum quodcunque quaesierat effe- 30 * p. 268. cisset, tum * honore magno dimissus est. Et, urbis suae populum placare et sedare molitus, a rege rogavit ut eum circum[8] eis aedificare iuberet; et hoc etiam ei item concessit, cum et impensas etiam ei dedisset ad ecclesiam Satanae aedificandam,

[1] Matth., v, 26. — [2] Erasum. — [3] πρόσωπον. — [4] γένος. — [5] σύγκλητος. — [6] Ms. 'quae'. — [7] Vox hic non genere propinquos significare videtur, sed familiares. — [8] ἱππικός.

in qua omnem voluntatem et libidinem suam perfecturus erat, ita ut mimos[1] etiam ut fertur secum adduxerit et ex urbe regia deportaverit. Quamobrem hoc nonnullis ioco et ludibrio et irrisioni fuit, aliis autem tristitiae et aerumnae, dum dicunt
5 omnes, « En de hoc adimpletur verbum Domini nostri quod dicit, ‘ Si sal evanescet in quo salietur? ’[2] et cetera »; quod, cum ecclesiae Christi princeps creatus esset, se ⌈contra hanc[3] post tot generationes quae praeterierunt[4] Antiochiae ecclesiae Satanae aedificatorem et exstructorem factum esse ipse osten-
10 dit, quam aedificare adsidue et indefesse studebat ac perseverabat, ut cum cavillatione iocose dicitur.

Caput XVIII, de parentibus eius et fratribus[5] et sororibus et cognatis plurimis, quos rex Mauricius ad se ad urbem regiam arcessivit et ditavit et magnificavit. — Statim igitur ini-
15 tio regni sui rex patrem suum cui nomen Paulus virum senem ad se arcessivit, et matrem suam et fratrem cui nomen Petrus, et sorores duas, unam viduam, et alteram cui vir erat cui nomen Philippicus, quem primo comitem excubitorum constituit, et postea in suo loco omnibus ducibus Romanorum per totum
20 Orientem praeposuit et copias ad bellum contra Persas paraturum misit. Suum ipsius patrem vero etiam toti senatui[6] praefecit, principem omnium *patriciorum; cui et filio eius *p. 269.
Petro ipsius regis fratri statim bona[7] omnia patricii magni Marcelli fratris regis Iustini, quae haud multo minora erant
25 quam regia, donavit, et domos eius et villas[8] et aurum et argentum et vestiarium[9] et omnia prorsus quae ubivis habebat. Et patri suo item et matri domum aliam ecclesiae et palatio[10] propinquam dedit. Necnon sorori suae et marito eius Philippico domum magnam et ingentem in parte urbis occidentali quae
30 vocatur Zeugma dedit (et ea domus nominatur *domus* Ἱλαρᾶς)[11]. Necnon sorori suae alteri viduae domum magnam novam, et ingentem dedit, quae ipsa etiam patricii Petri qui vocabatur

[1] μῖμος. — [2] Matth., v, 13. — [3] Vel ‘hoc (principatu) confisum’. — [4] Sc. a fine imperii pagani (?). — [5] Legendum fortasse ‘fratre’. — [6] σύγκλητος. — [7] οὐσία. — [8] προάστειον. — [9] βεστιάριον. — [10] παλάτιον. — [11] τῶν λεγομένων Ἱλαρᾶς (Theoph. Sim., VIII, iv, 13).

Barsumae *fuit*, qui eam nuper aedificaverat, in qua est ⌜urbs iusta[1]. Necnon ceteris cognatis suis domos alias regias magnas et insignes donavit, et studiose *eis* dedit *eos*que magnificavit et ditavit, et stabilivit et potestatibus magnis et insignibus regno propinquis cum aliis illustravit, et promovit et *honoribus* accinxit, et *muneribus* praeposuit, quae, quoniam propositum operis nostri cum eis rationem non habet, praetermisimus. 5

CAPUT XIX, de Domitiano metropolita Melitenes urbis, regis cognato. — Hunc Domitianum igitur eximium rex Mauricius, cum comes adhuc esset et a Tiberio ad Orientem missus esset, ipse in *urbe* Melitene Cappadociae episcopum fecerat. Et, cum breve tempus duorum circiter annorum plus minus in Oriente fuisset, et ascendisset et regnasset, statim ad eum accurrit, et cum eo consiliarius et intimus eius ei omnium proximus factus est, et consiliator eius * et consolator in tentationibus duris et acerbis quae a bellis *ortae sunt*, praeter ea quae a populo pagano Persarum magorum *fiebant*, et eis etiam quae a populis barbaris et immanibus eorum qui a mundi terminis venerunt qui vocantur Avares, et populis aliis Sclavinorum qui regem Mauricium ex omni parte circumsteterunt, et in his *rebus* omnibus episcopus Melitenes regem consolabatur eique consilium dabat, quamquam aetate adulescens adhuc erat. In opinione vero chalcedonia et Leonis adseclarum plene versatus erat. Negotia autem multa et magna quae ei ex omnibus partibus occurrebant ipse ad regem referebat et suadet eaque sicut vult et nunc etiam diudicat. 10 * p. 270. 15 20 25

CAPUT XX, quomodo Mauricus rex factus palatii[2] gazas exhaustas invenerit, et in vexationem et angustiam pervenerit. — Cum igitur rex Tiberius qui Mauricium post se regem constituit omnes gazas regis Iustini temere dissipasset, cum regni administrationi praefectus esset et se *ea fungentem* ostendisset, et in gazis Iustini, qui etiam Tiberium illum[3] post se constituit, aurum multum quod iniuste coacervatum erat et in thesauris[4] eius cumulatum invenisset, quos[5] cum Tiberius vidisset, quasi 30

[1] Vel 'quasi urbs una'. — [2] παλάτιον. — [3] Ms. ins. 'quem'. — [4] θησαυρός. — [5] Thesauris. Clausula confusa est et sine verbo principali relicta.

spiritus quidam zeli eum invasisset, id expendere et dispergere et dissipare incepit (est quando recte misericorditer, et est quando in stipendium[1] exercitus[2] secundum morem, et est quando temere et inconsulte expenderet, et tamquam vanno
5 dispergeret), adeo ut Iustini gazae exhaustae sint, * et prae- *p. 271.
sertim ⌈donativo consulari[3] quod iecit, quod, ut ipse dicebat, aurum septuaginta quinque centenariorum *fuit*, praeter argentum et ceteras res regias quas secundum regis morem iecit, donec Anastasii regis thesauros[4] aperire et expendere et dis-
10 tribuere coactus est.

Cum autem mundo exiisset, et Mauricium post se regem constituisset, et palatium[5] tamquam scopis eversum invenisset, etiam si aurum inventum est vel quod ab aerario[6] ad eum adveniebat, retinere et manum claudere, et ab exercitu[7] partem[8]
15 retinere et conservare coactus est, dicens, « Ego non dispergo et dissipo, sed coacervo et repono, ut pro pace reipublicae[9] dem ». Itaque hoc consilio manum clausit, et consuetudines multas abolevit, adeo ut a multis valde irrideretur et illuderetur itemque contumeliis adficeretur et avarus et sordidus et
20 illiberalis vocaretur, qui cognatos suos tantum extollere et magnificare et ditare potuit, cum multis talibus *rebus*, quae nisi ob causam *quandam* haud idoneae essent quae memoriis historiarum ecclesiasticarum a nobis insererentur.

Caput XXI, de turbatoribus et persecutoribus et aliorum
25 spoliatoribus qui regis Mauricii aures et ceteros *homines* eius adsidue vexabant. — Cum igitur rex tentationibus et cura bellorum quae ex omni parte eum circumstabant occuparetur, turbatores qui fidei zelum non curabant, sed hoc praetextu aliorum domos et bona praedari gestiebant et concupiscebant,
30 tum ut harum *rerum* potestatem et licentiam acciperent callide operam dabant, tum patriarchae et regis aures vexare non desinebant, dum * adsidue ac studiose calumniantur et accu- *p. 272.
sant, et eos praesertim qui synodo Chalcedonis offendebantur, et ceteros alios multos, dicentes « En hi omnes conventicula

[1] ῥόγα. — [2] στράτος. — [3] ὑπατεία, — [4] θησαυρός. — [5] παλάτιον. — [6] δημόσιον. — [7] στρατία. — [8] μέρος. — [9] πολιτεία.

magna congregant, et oblationes et baptismata faciunt, magis quam ecclesia catholica cum *ecclesiis* omnium haeresium Arianorum et Sambatianorum, et Tetraditarum et Montanorum[1] et Marcionistarum, et ceterorum huiusmodi, et totam ecclesiam confundunt et subvertunt. Licentiam nobis in eos mandate eorum comprehendendorum et includendorum et cruciandorum, et omnium conventiculorum eorum diruendorum ». Patriarcha autem, quoniam vir pacatus et misericors erat, et fallaciam eorum sciebat eosque praedae et rapinae studere, eos increpabat, dicens: « Si zelo recto in eis quae patrare studetis moveremini, vel haec emendare curaretis, zelus vester bonus esset; sed, quoniam curam vestram scimus, ut bona aliorum furemini et praedemini et rapiatis vobis curae esse, abite *et* conquiescite; nos enim persecutionem nostris diebus fieri non sinemus; sed, quantum possumus, docebimus et admonebimus ». Hi autem, quoniam non solum ordinis[2] clericorum sed et laicorum nonnulli, nec solum sed et eorum qui christianismo parum recti erant medicorum et paganorum erant, et, quoniam praedae rationi studebant, itemque se revera ut christianos pro fide Christianorum zelo adfici de se ipsis ostendere, quando episcopum se astutiae eorum non accommodare videbant, non temperabant quin ipsius misericordis regis aures vexarent, cum pars quidem medici regii essent. Et rex, utpote cuius tota intentio et omnes cogitationes * bellis barbarorum tenerentur, nec ipse etiam aurem eis praebebat, dicens: « Nonne bella externorum quae nos circumstant nobis sufficiunt, sed et popularium etiam praeterea nobis addere vultis? », itaque impetus eorum refrenabatur et consilia eorum cohibebantur et impediebantur.

* p. 273.

Caput XXII, de aedificatione Arabissi urbis desertae Cappadociae unde rex Mauricius genere[3] est. — Cum igitur Dei amans Mauricius regno praefectus esset, et de nomine suo Tiberius mandasset ut is etiam Tiberius nominaretur, ei ut nomen suum prius quod a parentibus accepit mutaret haud placuit, sed et in moneta[4] sua quam ex auro signavit mandavit

[1] Sc. 'Montanistarum'; cf. p. 103, n. 2. — [2] τάγμα. — [3] γένος. — [4] μονῆτα.

ut ‘ Mauricius ’ scriberetur, itaque aurum totum quod signabatur inscribebat. Fuit vero ei studium ante omnia urbis suae Arabissi aedificandae et condendae et evehendae et celebris reddendae, et, scribonibus quoquoversus missis, artifices lapidum labore peritos λατόμους qui *sunt* lapicidae, et architectos (?) et fabros lignarios et structores, et ferrarios et mechanicos [1], et ceteros omnes artifices congregavit et adduxit, et legionem [2] ibi collocavit qui eidem labori omnes adsidue adessent [3], dum omnibus artificibus in omni labore praevertuntur. Prius vero ecclesiam urbis dirui et valde amplificari et dilatari iusserat, ministerio magno ac multo auri et argenti, et vestibus [4] splendidis ad altare et ad totius ecclesiae exornationem (?) [5] large missis; et ciborium magnum sicut ceterarum [6] urbis regiae ecclesiarum hic mandavit et articulorum *modo* [7] factum est, id*que* misit ut ibi configeretur.

Mandavit autem rursus * ut xenodochium etiam magnum cum aedificationibus praeclaris ibi fieret, et praeter haec adhuc et aerarium (?) [8] etiam magnum secundum urbis normam, et porticus [9] extentas et magnas et basilicas magnas, et palatium [10] et murum validum. Quamobrem propter haec multi etiam verba multa fecerunt et valde murmuraverunt, dicentes; « Exercitibus Romanorum, qui pro republica [11] laborant et pugnant, cottidie clamat et dicit, ‘ Aurum *quod* eis distribuam non habeo ’; et nunc, quando urbes validae in Oriente et in occidente quae multae *sunt* nunc a barbaris captae et vastatae sunt, et clamat ‘ Aurum quod dem non est ’, quomodo tot centenaria » [12] quae multa numero *esse* ab eis dicebantur, quod nos nunc cum accurate non noverimus ut multorum fama feruntur non attestamur et historiarum nostrarum memoriis inserimus, qui dicebant, « Omnia haec centenaria misit ut urbem aedifi-

* p. 274.

[1] μηχανικός. — [2] ἀριθμόν. — [3] Grammatica hic confusa est. — [4] Sc. ‘tegumentis linteis’. Quominus ‘ vasa’ scribamus obstat quod ministerii mentio iam facta est. Vertendum fortasse ‘rebus’. — [5] Ita cum Sm. correxi, sed corruptio haud verisimilis est, et fortasse ܟܒܐ vox est aliunde incognita. — [6] Sic. — [7] Vox fortasse excidit. — [8] δημόσιον. Cf. p. 124. — [9] στοά. — [10] παλάτιον. — [11] πολιτεία. — [12] Clausula sine verbo princip. relicta est et aliter continuatur.

caret et conderet, quae numquam cognita est vel reipublicae[1] Romanorum quidquam profecit ».

Caput XXIII, quomodo Arabissus urbs duobus annis plus minus post aedificationem suam terraemotu eversa sit. — Cum autem urbs Arabissus cura multa et studio multo aedificata esset, et adhuc aedificaretur, subito terraemotus magnus et terribilis et violentus anno 2° aedificationis eius, qui est annus iii[2], in toto Oriente *domos* passim evertit, et velut ira quadam Arabissum totam evertit, et ut dicitur omnia aedificia in ea facta nova et vetera deiecit, *ita* ut omnibus stupori fieret. Rex vero Mauricius, quamquam * et ipse etiam tum contristatus tum adflictatus est, quasi urbis eius eversio a Deo nutu secreto esset, tamen eam iterum rursus denuo aedificare et condere non praetermisit, cum omnia artificum corpora, quae ad eam aedificandam congregata sunt, in ea rursus secundum ordinem priorem mansissent eam denuo aedificaturi et condituri.

* p. 275.

Liber V historiarum ecclesiae finitus est, in quo comprehensa sunt capita viginti tria.

Initium libri VI historiarum de bellis, quae paulatim in memoriis historiarum breviter exscribuntur et referuntur, quae sunt haec:

[1] πολιτεία. — [2] τρίτος, sc. indictionis (A. C. 584/5). Perperam Sm. et Schönf. — [3] Ms. ‘Armenia’.

et de ceteris *rebus*. XV, de eis quae tandem ab eodem Mauricio gesta sunt. XVI, de Mondir filio Ḥarith, et de Mauricio. XVII, de vastatione quam fecit m a r z b ā n ā Persarum. XVIII, de victoria * Mondir. * p. 276.
XIX, de eis quae Antiochiae a captivis gesta sunt. XX, de morte
5 Chosrois regis Persarum. XXI, quomodo Chosroes pro eo quod pax rupta est adflictus sit. XXII, de filio Chosrois qui post eum regnavit. XXIII, de causis propter quas pax rupta est. XXIV, de populo foedo qui vocantur Avares et de ponte quem fecerunt. XXV, de populo maledicto Sclavinorum, et de vastatione quam fecerunt. XXVI,
10 de proelio Persarum quod iuxta Tellā urbem factum est. XXVII, de Mauricio [1] qui a bello fugit. XXVIII, de proelio quod in Armenia factum est, et de victoria Quris. XXIX, de impostore [2] quodam persa qui se regis filium fecit. XXX, de Sirmio urbe magna regni Gepidiorum [3] quam *Romanis* volentibus *aut* nolentibus Avares ceperunt.
15 XXXI, de exitu Narsis spatharii. XXXII, quomodo tandem, cum quae exspectabantur non effecta essent, Sirmium urbs his barbaris data sit. XXXIII, de incendio Sirmii quod postea factum est. XXXIV de memoriis bellorum multorum, et postremo de bello quod gessit Mauricius et captivitate Arzun. XXXV, de castello alio quod Mau-
20 ricius ante Sophanenen aedificavit cui nomen Šamkart. XXXVI, de castello alio cui nomen Āqbā quod Kallath iuxta in terra Persarum est. XXXVII, de legato [4] Persarum qui eo tempore ad regem nostrum Romanorum forte mittebatur [5]. XXXVIII, de descensu legati Romanorum qui cum rege Persarum de pace colloqueretur.
25 XXXIX, de eodem legato Persarum qui ad regem Romanorum iterum missus est. XL, de vastatione multa utriusque reipublicae [6], quam altera alteri saepe intulit. XLI, quomodo * principatus Ṭayāye * p. 277.
Romanorum elatus sit et postea depressus. XLII, de eis e principibus Ṭayāye qui abierunt *et* se Persis dediderunt. XLIII, de princi-
30 pibus insignibus e m a r z b ā n e Persarum qui capti ascenderunt *et* in urbe regia vincti sunt. XLIV, de pugna alia anni III [7] et victoria quae Romanis a Deo data est. XLV, de populo foedo barbarorum crinito [8] qui vocantur Avares. XLVI, quomodo Avares exierint et urbes magnas et castella multa expugnaverint. XLVII, de terrore et
35 trepidatione quae Constantinopoli facta est, cum nos etiam in ea *essemus*. XLVIII, de expugnatione et vastatione regionis Sclavino-

[1] Hoc error est pro 'marzbānā', ut e capite ipso patet. — [2] ἐπιθέτης. — [3] Sic. — [4] Ms. 'legatis'. — [5] Ms. 'mittebantur'. — [6] πολιτεία. — [7] τρίτὸς sc. indictionis (A. C. 584/5). — [8] Litt. 'crinium suorum'.

rum[1]. XLIX, de vastatione Anchiali[2] urbis, et de thermis quae in eo *erant.*

Capita vel κεφαλαῖα finita sunt.

LIBER VI

LIBER VI PARTIS III *historiae* ecclesiasticae[3], de historiis bellorum quae breviter exscribuntur. 5

HISTORIA[4] I, de initio eiusdem libri. — Haud igitur ineptum esse nobis visum est, vel alienum, ut historiis[5] ecclesiasticis et de bellis et proeliis etiam, et vastatione et caede, quae nostris diebus facta est, memoriam brevem adiciamus, ut ad scientiam 10 posterorum, si igitur[6] mundus amplius stabit, quoad invenimus et deprehendimus et auditu accipimus, *ea* exscribamus et nota faciamus, cum per haec Salvatoris nostri verbum et doctrinam vitae plenam recordamur, quae nos de tempore finis consummationis mundi, itemque de tempore adventus docet et admonet et 15 obtestatur, * dicens, « Cum videritis haec omnia facta esse, scitote eum prope ad ianuam venisse »[7]. Quae omnia diebus nostris iam facta et adimpleta esse videmus. Et proinde nos adventum illum terribilem semper exspectare oportet, qui cum potestate magna et gloria multa *fiet.* 20

* p. 278.

HISTORIA II, quomodo Marcianus patricius bellum gesserit et de eis quae tandem acciderunt. — Dum ex eis quae in regionibus orientalibus nunc gesta sunt monumenta quaedam brevia[8] facimus, primo iam a glorioso patricio Marciano regis Iustini cognato operis historiarum nostrarum initium faciemus, qui 25 unus erat e ducibus militaribus qui illo tempore ad Orientem mittebantur. Qui cum zelo pro republica[9] Christanorum ferveret, exercitu suo congregato, descendit *et* iuxta Nisibin urbem consedit, quam nunc usque tenent Persae. Quam cum fortiter oppugnasset ut eam expugnaret, χαλκώματα[10] contra eam circa 30

[1] Requiri videtur 'regionis Thraciae a populo Scl.'; cf. p. 259. — [2] Ms. 'Anchalii'. — [3] ἐκκλησιαστική. — [4] Vel 'narratio', itaque in omnibus titulis. — [5] Vel 'narrationibus'. — [6] ἄρα. — [7] MATTH., XXIV, 33. — [8] Vel 'pauca'. — [9] πολιτεία. — [10] Hoc, quod ap. Syros saepe occurrit, a χαράκωμα vulgariter corruptum esse videtur (Brockelm.).

aedificavit; et, quoniam mechanicos[1] etiam secum habebat, machinamenta[2] turrium altarum et πύργων validorum contra eam erexit, et, urbe ad angustiam redacta, incolae cum exercitu Persarum qui in ea erat de vita desperaverunt, cum eam exinde a Romanis iam expugnatam esse vidissent. Et, quemadmodum[3], cum alteri intra terrerentur, alteri extra urbem expugnaturi et deleturi erant, et cum Romani eam intrare sperarent et se pararent, en vir quidam agrestis cui nomen fuit Acacius Archelao[4] qui a Iustino rege contra Marcianum sine respectu probitatis missus erat ut imperio ei abrogato zonam[5] eius secaret eumque a regionibus Orientis ablegaret. Qui cum pervenisset et mandatum ostendisset, cum Marcianus cum exercitu suo contra Nisibin dimicarent[6], seque eam * die proximo intraturos et urbem occupaturos sperarent, exercitus totus commoti manus remiserunt. Et, cum gloriosus Marcianus Nisibin expugnare studeret et se pararet et in eo erat ut expugnaret, cum mandatum audivisset, Acacio dixit: « Quantum laborem susceperimus ut hanc urbem expugnemus iam vidisti. Et nunc patientiam habe et nos duo dies tantum exspecta, et statim fac quod tibi mandatum est. Penes regem est ut quod mandat fiat ». Is autem ei iratus eum probris lacessivit, et stomachatus est, et, manibus ei ante copias eius omnes illatis, eum huc et illuc traxit, et deiecit et zonam[5] eius secuit, dum eum probris lacessit; et, ut dicebatur, alapam etiam ei ingessit. Itaque, cum copia agitaretur, et totus exercitus[7] manus remisissent, et cum conviciarentur quod viderunt id quod iniuste factum est, bandum[8] eius ceperunt et demiserunt, et retro verterunt. Et statim fugit[9] copia tota, et versi ab urbe retro recesserunt, dum de eo quod duci eorum accidit viro bono ac fideli lamentantur et queruntur, et adhuc quoniam, cum se urbem intraturos et capturos iam sperarent, retro versi erant cum ex hostibus nemo esset qui eos persequeretur, et eis qui eos oderant irrisiō et ludibrium facti erant.

* p. 279.

Sed et, cum copia Persarum quae in urbe erat haec vidisset,

[1] μηχανικός. — [2] μηχανήματα. — [3] Sic. Melius esset 'dum'. — [4] Sic. THEOPH. SIM., III, XI, 1. Ἀκάκιον τὸν Ἀρχελάου. — [5] ζώνιον. — [6] Sic. — [7] ἐξέρκετον. — [8] βάνδον. — [9] Ms. 'evellit', corr. Sm.

Romanorum calamitatem et recessum repentinum, et Marciani bandum[1] reversum, mirati ac confirmati arma sumpserunt, et eos persecuti sunt; et copiae peditum qui post ceteros remanserant inciderunt, et multos ex eis trucidaverunt et deiecerunt. Itaque ad urbem suam reversi sunt, dum ea quae ab eis et inter eos Romanis acciderant deridení et illudunt. Et statim scripserunt et regem suum de omnibus his *rebus* certiorem fecerunt, dicentes, « Ades statim ut * terram[2] Romanorum invadamus quoniam di magni sol et ignis eos deiecerunt, quod ita *factum est* ut regis sui mandatu sibi invicem inciderint, et Marcianum cum contumelia loco moverint, et omnes effugerint et ab urbe nostra abierint ».

* p. 280.

Historia III, de causis regis contra Marcianum propter Mondir regem Ṭayāye irae. — Propter propositum igitur et ordinem tenoris historiarum[3] continuarum, et ut causam irae Iustini regis clare et vere notam faciamus, primo in Mondir filium Ḥārith, et deinde propter eum contra ipsum Marcianum, quando iniuste et sine respectu aequitatis iratus est et (quo impulsu nescimus) ad utrumque mandavit[4]. Quod ad Mondir enim ob causam huiusmodi in eum iratus est. Cum enim Ḥārith rex Ṭayāye Romanorum, cuius formidine et timore multo omnes Ṭayāye Persarum tenebantur[5], et, cum eum mortuum esse vidissent, filiis eius omnibus et primoribus et exercitu contemptis et despectis, castra[6] eius tota in manus eorum exinde iam tradita esse putaverunt.

Deinde congregati venerunt *et* in terra tribus Ḥārith consederunt, ubi greges eorum omnes ibi[7] erant, et omnia camelorum suorum armenta adduxerant. Quae cum didicisset Mondir, valde exacerbatus est; et zelo acri incensus fratres suos omnes et filios et primores adduxit et castra tota, et subito eis inciderunt, cum hi eos ante eos stare ausuros omnino non putarent; eosque trucidaverunt et deleverunt. Quamobrem, cum Qābus rex eorum vim gladii Mondir et exercitus eius vidisset, eos in-

[1] βάνδον. — [2] Ms. om. — [3] Vel 'narrationum'. — [4] Clausula incompleta relicta est. — [5] Clausula incompleta relinquitur, et sensus aliter datur. — [6] Ḥirthā (= arab. Ḥira); vide p. 131, n. 1. Vox quam infra 'castra' reddidi alia est. — [7] Sic.

gressos ac potitos esse et exercitum eius totum iam trucidasse, equo vectus cum paucis * nudi fugerunt [1] et evaserunt [1]. * p. 281.
Et Mondir ingressus in tabernaculo eius consedit, et castra eius tota et impedimenta abstulit, et omnia armenta eius; necnon cognatos eius etiam et primorum eius *nonnullos* comprehendit et vinxit, et ceteros trucidavit et deportavit. Et transgressus [2] suum ipsius tabernaculum in terra Qābus posuit, *in loco qui* tribus mansionibus [3] *distabat,* qua greges omnes et splendor totus Ṭayāye Persarum ibi [1] erat. Et *castra sua* ibi diu posuit, quamobrem, cum speculatores Qābus advenirent et tabernaculum in terra ipsius Qābus positum esse viderent, ipsum Qābus regem suum in eo esse putabant, et securi ingressi in castra Mondir penetrabant, eosque comprehendebant et trucidabant, et *qui* insignes *erant* inter eos vinciebant. Itaque, cum tempus nonnullum quantum voluerunt ibi fuissent, inde cum praeda multa reversi sunt, equorum et armentorum multorum camelorum, et armis et ceteris *rebus.* Necnon autem post tempus aliquantum ivit Qābus *et,* exercitu magno sibi congregato, nuntium ad Mondir misit « Accipe pugnam, quod en contra te venimus. Quamquam enim tu sicut latro nobis incidisti, et te nos vicisse putas, en nos aperte in pugna contra te venimus ». Mondir autem eis nuntium misit, « Quare vos vexamini? Ego venio ». Et obsecundavit et se paravit et cum verbo opus fecit; eisque subito in deserto obviam ivit, cum non exspectarent; eisque incidit eosque conturbavit, et eorum magnam partem trucidavit; et iterum ante eum fugerunt. Et, quoniam pridem etiam in narrationibus aliis [4] harum *rerum* memoriae a nobis conditae erant, quod ad tempus praesens vero *attinet* ut de eis quae sine ratione probitatis inique facta sunt, qui dolus post decora haec magna et tantam victoriam in duabus pugnis magnam in eum excogitatus sit, notitiam praebeamus, cum Mondir * fore ut a rege reciperetur et laudaretur putasset, de omnibus quae effecit ei scripsit, et de tota victoria sua, et post haec, eos certe [5] rursus in eum conventuros opinatus, ei scripsit ut aurum ei mitteret quo exer- * p. 282.

[1] Sic. — [2] Sc. fines vel flumen. — [3] μανσίων. — [4] In parte II^a perdita. — [5] πάντως.

citum sibi conduceret. Quod cum Iustinus rex audivisset, eum idcirco ei scripsisse ut aurum ei mitteret, valde iratus et stomachatus eum probris lacessivit eique graviter minatus est; et ut eum dolo clanculum occideret enisus est.

HISTORIA IV, de eis quae Marciano et Mondir a rege scripta sunt. — Rex igitur Iustinus, quasi spiritu quodam perversitatis completus, epistulam ad Marcianum patricium furtim ut putavit scripsit ut Mondir occideret, in qua ita scripsit: « En ad Mondir ṭayāyā scripsi ut ad te veniat. Fac, simul ut advenerit, caput eius sine mora amputes, et nobis scribe. Ad Mondir autem scripsi[1], 'Quoniam negotia quaedam *rerum* necessariarum[2] Marciano patricio scripsi ut tibi loquatur, statim sine mora ad eum i, et de negotio colloquimini' ». Ut vero hoc omnibus tandem patefactum est, quasi operatione quadam Dei res commutata est, et mandato quod ad Marcianum *destinatum erat* ut caput Mondir amputaret nomen ipsius Mondir inscriptum est, et ei quod ad Mondir nomen Marciani quasi errore inscriptum est. Itaque magistrianus ambo mandata [accepit][3], et egressus mandata utrique personae[4] reddidit ut inscripta erant; et accidit ut Mondir mandatum ad Marcianum 'Caput abscinde' acceperit, et Marcianus iterum mandatum Mondir quod ei scripsit 'Ad * Marcianum i, quod ei scripsi ut tecum loquatur'. [* p. 283.]

Quamobrem, cum Mondir hoc recepisset et legisset, timore magno commotus est, dicens: « Num labores mei et operae pro terra Romanorum *suscepti* mihi capitis praecisione retribuuntur? Num hoc merebam? ». Et ira completus toto exercitu suo congregato eos ad se custodiendum admonuit, dicens: « Si quemvis qui a rege Romanorum ad me missus est videbitis, si pauci sunt, eos comprehendite, et extra castra custodiantur; si vero multi sunt, eis statim bello fortiter occurite, dum verbis quaecunque vobis dicentur non obtemperatis nec eis ad viciniam castrorum vestrorum ullum omnino aditum datis ». Itaque omnes catervae Ṭayāye coniunctim noctu diuque armati stabant, tum excubias agentes tum quicunque Romanorum eos

[1] Legendum fortasse 'scripsit'; cf. MICH., II, p. 308. — [2] ἀναγκαίων. — [3] Ms. om.; manu seriore insertum est. — [4] πρόσωπον.

aditurus erat cum eo pugnare parati. Quamobrem, cum hoc a Persis et Ṭayāye eorum auditum esset, et ab ipso Māndir metum sibi posthac non esse cognovissent, eumque bellum pro Romanis non suscepturum, quod eum occidere quaesierant, dein, fidenter profecti Persae et Ṭayāye eorum ut ad terram Romanorum exirent, vastaverunt et incenderunt et usque ad agrum Antiochenorum ascenderunt, et captivorum copiam ingentem abduxerunt, et pagos magnos et ingentes qui ut urbes *erant* in agro Antiochenorum perdiderunt et surruerunt et incenderunt, et ceteros. Et ab his regionibus cunctis captivos abduxerunt, easque totas peremerunt, et cum praeda multa ad regionem suam reversi sunt, cum Mondir de dolo qui in eum factus est et de vastatione quam hostes fecerunt et e terra Romanorum divitias nacti sunt paeniteret et doleret. Is autem ducto exercitu suo exiit *et* in deserto consedit, *ita* ut omnes qui iniquitatem quae * [p. 284.] in eum sine culpa iussa est audiverunt gravissime tulerint, et quae inconsulte et sine ratione iustitiae iussa sunt reprehenderent et vituperarent. Quamobrem, cum rex haec ex omni parte audiret, necnon Mondir omnem terrae Romanorum curam dimisisse didicisset, ad potestates et duces exercituum qui in Oriente *erant* nuntios misit, ut eum adirent et obsecrarent et conciliarent. Quem *nuntium* cum multi ei misissent ut eum adirent, unicuique eorum nuntium mittebat, « Noveritis, si vir ab ulla parte terrae Romanorum ad me veniet, me ei bello occursurum, ut aut me occidat aut eum occidam. Absit enim posthac ut me ipsum viro *qui* de terra Romanorum *venit* rursus credam. Meum ipsius enim caput quod ad vos et regem vestrum attinet abscisum est. Ad haec enim a Romanis damnatus sum ». Itaque tempus duorum vel trium annorum *fuit* cum obsecrationes multae ei scriberentur, nec is aditum daret, et mandatum omnibus mitteret et ostenderet. Contra Marcianum autem ira fuit quia Mondir vixit et evasit, et quia res arcana patefacta et declarata est, et consilium ad effectum non pervenit; id quod iniquitate et iniuria factum esse omnibus etiam declaratum est, et sine respectu timoris Dei hoc iussum [1] in eum mandatum esse. Et, cum rex Mondir ita ⌜pertinax fuisset [2],

[1] ἀποφασις. — [2] ܥܪܝܡ hoc significare hic videtur.

et cum toto exercitu suo omni vigilantia et cautione contra omnes primores et exercitus regni Romanorum circa tempus plus minus trium annorum stetisset, deinde ut vir christianus de terra Romanorum adflictatus, et irae in Ṭayāye Persarum plenus, quia cum exercitu Persarum incursionem facere ausi sunt et *usque Antiochiam vastaverunt et incenderunt et captivos abduxerunt, et ad regionem suam cum praeda multa et captivis infinitis reversi sunt, ut placaretur et pro republica[1] Romanorum dimicaret sibi proposuit. Et, cum regis litterae ad eum crebro per primores multos mitterentur, dum rex negat et se insciente de eo scriptum esse ut moreretur dicit, et ipse pertinaciter[2] perstaret nec litteras accipere adnueret, nec quemquam eorum qui ad eum missi sunt, ad proelium paratus contra eum qui ad viciniam castrorum eius accedere ausurus esset, dein tandem ad patricium Iustinianum Germani filium misit, qui ipse super omnes duces exercituum Romanorum qui in toto Oriente erat[3] princeps et ductor erat, nuntio ei ita misso: « Ego ab initio dolos Romanorum audiebam et cognovi; nunc autem dolo hoc mortali qui pro laboribus meis in me structus est veritatem experimento didici; et posthac ego ut me ipsum principi ullo Romanorum credam mihi numquam suscipiam. Et tibi, quoniam te virum christianum et ingenuum qui Deum timet *esse* cognovi, si ad domum beati Mār Sergii Rhesaphae venies, et mihi nuntium mittes, illuc veniam, cum exercitu meo quasi ad pugnam armatis[4]. Et, si pax mihi obtinget, et veritatem mecum loqueris, ego et tu etiam in concordia revertemur. Et, si dolum inveniam, in Deo spero in quem credo, qui manus in me non remisit, nec remittet ». Quamobrem, cum patricius Iustinianus haec recepisset, gaudio magno gavisus, nuntium ad eum misit, « De me noli dubitare, quod en Deus Christianorum inter nos *est*. Die illo ad domum sancti Mār Sergii veni, et me en ibi invenies. *Et exercitui tuo molestias dare noli; quod in Deo spero nos alterum ab altero in pace et concordia et amore recessuros ». Quamobrem, cum Mondir hoc responsum[5] recepisset, consilium eius remissum et commutatum est; et statim cum paucis profectus ad eum adiit. Et,

*p. 285. — *p. 286.

[1] πολιτεία. — [2] ܒܪܡܢ hoc significare hic videtur. — [3] Sic, sc. exercitus. — [4] Sic. — [5] ἀπόκρισις.

cum ambo ante sarcophagum sancti Mār Sergii adfuissent, et multa quae litteras transcendunt inter eos dicta essent, promissum sicut voluerunt se invicem postulaverunt et acceperunt, itaque fidenter iam et pacate se invicem unione magna dimi-
5 serunt. Quamobrem, cum haec regi Iustino et cetero senatui[1] cognita essent, ipsi quoque gaudio magno gavisi sunt quod Mondir obtemperaverat et placatus erat. Et postea litterae pacis et conciliationis ab utraque parte mutuo factae sunt.

Mondir autem animosus et fortis post paulum, cum irae
10 in audaciam Ṭayāye Persarum plenus esset, et captivos quos a terra Romanorum abduxerunt eripere et liberare studeret, fratres suos et totum genus[2] suum et filios suos et omnes copias eorum silentio congregavit, ut statim cito armati et commeatu instructi adessent, et die secundo omnes apud eum convenirent.
15 Quamobrem, cum convenissent et parate accincti essent, arcanum eis declaravit, dicens: « Statim, cum vir nullus a nobis se seiunget vel recedet, omnes una in Ḥirthā[3] dĕ Nu'mān in terra Persarum incidamus; et propter arrogantiam eorum et audaciae eorum in Christianos *patratae* vehementiam Deus eos in
20 manus nostras tradet ». Itaque omnes vehementer profecti ad Ḥirthā pervenerunt et in id silentio inciderunt, cum incolae eius valde inordinati silerent et tranquilli essent. Et exercitum totum qui in eo adfuit trucidaverunt et perdiderunt; et *oppidum* totum ecclesiis exceptis surruit et incendit — * tabernacu- *p. 287.
25 lo suo in medio eius statuto, et in eo dies quinque consedit. Et Ṭayāye omnes quos comprehenderat comprehendit[4] et vinxit; et omnes captivos Ḥirthā et omnes captivos quos a terra Romanorum abstulerant et abduxerant, et omnes equos eorum, et omnia armenta[5] eduxit; et profectus est et ad regionem suam
30 triumpho magno et victoria immensa reversus est; quae ei praesertim gloriam et divitias addidit, quas[6] monasteriis et ecclesiis omnibus orthodoxorum distribuit, et pauperibus large. Et ab omnibus valde celebratus est, itemque duo regna viri fortitudinis vigorem et triumphos quos consecutus est obstu-
35 puerunt et admirata sunt.

[1] σύγκλητος, — [2] γένος. — [3] Vide p. 131, n. 1. Ḥ. dĕ N. = Al Ḥira Arabum. — [4] Sic. — [5] Sc. camelorum. Cf. p. 212, 213. — [6] Perperam Sm. et Schönf.

HISTORIA V, de adventu regis Persarum, et de expugnatione Darae, quae anno 884 facta est, et ceteris rebus. — Rex autem Persarum cum copiis immensis statim ac Marcianum cecidisse et exercitum ab urbe Nisibi fugisse didicit, statim [1] advenit et omnia machinamenta [2] et omnes ballistas [3] quae a Marciano pa- 5 tricio contra eam facta erant invenit. Et statim abiit *et* contra Daram consedit, cunctis Marciani machinis quae in Nisibin factae erant adsumptis, quas attulit et contra Daram urbem posuit, cum artifices omnium generum secum adduxisset. Et primo lapicidas paravit et ceteros ut, monte orientali qui extra 10 aquaeductum [4] *erat* interciso, eum ab urbe deflecteret, quando, ut fertur, quod rupem duram invenerunt, ignem super eam accendebant, et postea acetum *ei* iniciebant, itaque etiam eam

* p. 288. emolliebant. Contra * urbem vero omnes ballistas [3] quas Marcianus contra Nisibin fecerat erexit, et contra eam tempus 15 mensium sex sedere perstitit, et belli artes contra eam mutare ut eam expugnaret, itemque mulos [5] duo contra eam construxit. Et Romani *rationem* excogitabant et perficiebant, et eos incendebant, cum urbs clausa esset; et principes in ea erant Iohannes ⌈magister militum [6] filius Timostrati [7], vir bellico- 20 sus, et Sergius filius ŠPNY qui ipse etiam ⌈magister militum [6] erat, et ceteri. Sergius autem, ut dicebant, sagitta ictus erat, et mortuus. Rex vero Persarum ascendit tandem *et*, tabernaculo suo in monte septentrionali supra *urbem* posito, quaecunque intra eam faciebant sedens contemplabatur. Quam- 25 obrem ibi etiam desuper mulum mandavit, et constructus est contra turrem magnam quae ceteris turribus altior fuit, quam vocabant Heraclem, quam [8] intra quid facerent eis non erat, extra autem mulum firmaverunt et urbem adgressi sunt. Ante haec vero, cum quantum laborasset nec urbem perturbasset 30 iam vidisset, quemadmodum murum etiam latericium mandavit et extra urbis murum circa construxit, ut si forte cives exituri essent eos circumcluderet, et cum omnes dolos suos irritos

[1] Sic iteratum. — [2] μηχανήματα. — [3] μαγγανόν. — [4] ἀγωγός. — [5] Terrae acervos, qui ad muri altitudinem construebantur. — [6] στρατηλάτης. — [7] Ms. ṬYM' STRṬ'; cf. IOS. STYL., XCVII; SEV., *Sel. Letters*, I, VIII; ZACH. RH., IX, I. Nomen idem sed vir alius esse videtur. — [8] Sic sine constructione.

factos esse ut dictum est vidisset, aegrotaverat et ne moreretur territus erat, et nuntium ad urbem miserat ut aliquem ad eum mitterent cum eo collocuturum. Erat autem ibi vir notus et celeber, interpres[1] Romanorum et Persarum, cui nomen fuit
5 Cometas, * et hunc ipsum cives ad eum miserunt. Qui multa *p. 289.
cum eo collocutus dixit ei etiam ut civibus diceret ut quinque centenaria urbis redemptionem ei darent et ab ea recederet. Qui cum, ut ei tandem confessus est, cum[2] urbem non expugnatum iri confisus esset, hoc eis non dixit. Quamobrem, cum
10 rex dies praeteriisse vidisset, eosque eum contemptum habuisse nec responsum[3] ei fecisse, magis exasperatus est et ira magna completus; et, urbem rursus adgressus, mulum quem postremo fecerat firmavit et roboravit, et Romani eum iam spreverunt et irriserunt, dicentes, « Ignominia adficietur, ut in ceteris
15 *rebus* ». Itaque in muro pugnare neglexerunt, et *id* magis quod frigus durum ac severum erat; et, cum de muro descendissent, *urbem* ingressi, in domibus comedebant et bibebant.

Persae autem, cum murum exercitu Romanorum nudatum esse vidissent, et mulum quem fecerant murum exsuperasse,
20 deinde consilio inito tabulas colligatas ad murum apposuerunt, et exercitus transiit et, toto muri latere completo, intra urbem descenderunt. Et, cum clamor subito factus esset 'En urbs expugnata est', et exercitus Persarum Romanos multitudine superasset, stupefacti et territi et perturbati sunt; et
25 omnes una ad portas urbis cucurrerunt ut ante eos effugerent. Quamobrem Persae, visa eorum mutitudine, ipsi etiam timore ac terrore adfecti se continuerunt et Romanis ut effugerent nec eis resisterent permiserunt.

Cum autem Romani ad omnes portas cucurrissent, dum cla-
30 ves[4] cum clamore postulant, tum * claves[4] quaesitae sunt nec *p. 290.
repertae, quoniam principes eas celaverunt; quamobrem, cum Romani exercitum Persarum invaluisse et urbem iam completam esse vidissent, et se ipsos ab omni parte coactos et cohibitcs esse et effugere non posse, dein se, sive ad mortem sive
35 ad vitam, collegerunt, et, exercitum Persarum adgressi, eos, ut messores spicas, metebant et deiciebant, necnon hi hos[5].

[1] διερμηνεύτης. — [2] Sic superfluo iteratum. — [3] ἀπόκρισις. — [4] κλεῖδα. — [5] Sic.

Et pugna intra urbem atrox fuit, et se invicem clausa urbe trucidant septem dies, donec urbs cadaveribus repleta est et foetuit, quae ob necessitatem[1] trahebant et in flumen et in cisternas[2] iaciebant. Quamobrem, cum Persae se trucidari vidissent nec ingressos praeda urbis potiri posse, itemque metu Romanorum territi essent, fugerunt, et, muro ascenso, ut dolo cum eis et in eos uterentur sibi proposuerunt, nuntio Romanis dolose misso, « Quare ita alteri alteros trucidamus et perdimus? Sed venite fidem invicem demus, et, armis depositis, ambae partes pacem mutuam faciamus ». Quamobrem, cum exercitus Romanorum de vita iam desperassent, et se angustia teneri vidissent, adsensi fidem dederunt et fidem acceperunt, et, armis depositis, fidenter exinde alteri ad alteros ut in pace accesserunt. Romani autem fide exinde confisi timore caruerunt. Quamobrem, cum exercitus Persarum immensus fidenter ingressus esset, et ambae partes sibi invicem ut in pace immiscuissent, et cum ambae partes urbem praedari incepissent, dein Persarum fraus et dolus patefactus est. Immutati enim fidem fefellerunt, * et comprehensis Romanis multos eorum trucidaverunt, et ceteros vinctos singulos ad regem eduxerunt, et omnes ingenuos et ingenuas cum eis et principes urbis; et mandavit, et omnes obsignati[3] sunt. Mandavit vero amplius ut quicunque aurum haberet ad eum adferret, et ubicunque praeterea aurum aut argentum inveniretur ad eum veniret. Itaque aurum multum collectum est, ut fertur, quod centum vel ducenta centenaria excessit, et ante eum collectum est. Nos autem, quoniam haec certo non scimus, falsum adfirmare nolumus; sed quae exacte non scimus silentio tegimus.

* p. 291.

Rex vero, ut dicitur, cum tantum aurum vidisset, primoribus urbis vocatis, dixit eis: « Deus magnus caeli tot animarum quae e vobis et e nobis perierunt sanguinem a vestris manibus reposcat, quod tanti auri quod hic nunc coacervatum est cen-

[1] ἀνάγκη. — [2] κιστέρνας. — [3] Sc. 'secure inclusi'. Sm. et Schönf. 'submersi', sed principes infra vivi sunt, et, cum Ioh. mortem mergendo effectam innuere vult, vocem ܐܬܚܬܡܘ adhibet (p. 224), non ܐܬܛܒܥܘ, quod mergendi actum tantum significat, non necem, cuique 'in fluvio' addendum esset. *Chron* 1234 (I, p. 204, l. 29) 'manus eorum secure vinxit'.

tesinam partem non postulabam ut urbis vestrae redemptionem mihi daretis et ab ea recederem, ut etiam per Cometam vobis nuntium misi et me nihilo aestimastis ». Quamobrem, his auditis, ei iuraverunt, « Hanc condicionem numquam audivi-
5 mus ». Et Cometae ut eos refutaret vocato dixit: « Nonne per te eis hunc nuntium misi? ». Dicit: « Ita, domine ». Dicit: « Et eisne dixisti? ». Et dicit: « Domine, non dixi eis quoniam timui ». Quamobrem, cum ira eum ad mortem damnasset, dixit ei: « Quoniam pro utraque republica[1] laborasti, te non oc-
10 cidam ». Et mandavit, et ambo oculi ei effossi sunt.

Itaque is urbem praeda quae magna *et* inenarrabilis *erat* praedatus est; et, captivis ex ea abductis, * omnibus incolis * p. 292. eius vacuam reddidit; et, exercitu suorum in ea relicto, ad regionem suam cum spoliis multis *et* infinitis, argento et auro
15 civium et ecclesiarum et ceterorum, reversus est, et[2] spoliorum et captivorum vim magnam ab ea extulit. Captivitas vero eius et tempus quo in manum Assyriorum tradita est ab aedificatione eius quae ab Anastasio rege *facta est* et usque ad captivitatem eius[3] anni septuaginta duo plus minus esse compu-
20 tantur.

Historia VI, de captivitate Apameae urbis et vastatione eius quae eo anno facta est, cum rex perses Daram obsideret. — Cum igitur rex perses Daram urbem adhuc obsideret, et neminem qui eum compressurus esset esse vidisset, statim m a r z-
25 b ā n ā cui nomen Adārmahan[4] contra Apameam urbem cum magno exercitu misit; qui et ipse castra[5] expugnavit, et pagos magnos et frequentes diruit et incendit, et abiit et Apameam advenit. Et, quoniam, cum Perses Antiochiam expugnasset, contra Apameam quoque castra posuit et eam circumsedit, et
30 Apamea etiam se ei tradidit, fide ab eo accepta, et rex eam ingressus circenses[6] in ea spectavit, nec quidquam in ea diruit vel incendit, et hac de causa quoniam nec qui venturus erat malum eis facturum confidebant, hac etiam fiducia urbis primores et episcopus ad eum egressi donum ad eum extulerunt.
35 Is autem dolo eis dixit: « Quoniam urbs nostra est, portas

[1] πολιτεία. — [2] Mss. om. — [3] Clausula grammatica caret, sed sensus patet. — [4] 'Αδορμαάνης (Theoph. Sim., III, x, 7). — [5] κάστρα. — [6] ἱππικός.

mihi aperite ut ingressus eam videam». Ei autem, cum ei confiderent, nec eum malum quidquam facturum putarent, *p. 293. ei aperuerunt et * urbem intravit. Et statim portas comprehendit, et viros et mulieres comprehendere et vincire incepit et urbem spoliare, et spolia omnia efferebant et omnes homines et extra urbem collocabant. Et, tota urbe Apamea spoliata, quae divitiarum a temporibus antiquis *adquisitarum* plena erat, et inter multas urbes locuples erat, cum omnes homines eius et omnia spolia eius extulissent, itemque episcopum cum eis, deinde igni iniecto totam penitus incenderunt et captivis omnibus et spoliis omnibus quae ab ea et a ceteris *locis ceperant* eductis ad regem descenderunt cum Daram obsideret. Et captivi quos ab ea et a ceteris *locis* deduxit ante ipsum regem numerati sunt, milia ducenta nonaginta duo. Itaque divisi sunt, et ad terram Persarum transierunt.

Postquam vero rex Daram expugnavit et spoliavit, cum et in ea etiam divitias infinitas invenisset, quae a ceteris urbibus et ab omni loco *adlatae erant,* quod ut ad arcem inexpugnabilem[1] ad eam fugiebant[2], tum captivos omnes infinitos eduxerunt, quibus adsumptis ad regionem suam reversus est.

Historia VII, de duobus milibus adulescentularum pulcrarum quae regis mandatu selectae sunt ut dona[3] barbaris mitterentur, et de re mirabili ac stupenda quam hae adulescentulae zelo christianismi perpetraverunt. — Cum igitur rex perses superbia ebrius factus esset, et mens eius spoliorum et captivorum multitudine quam e terra Romanorum arripuerat elata esset, mandavit ut duo milia adulescentularum aetatibus et pulcritudinibus perfectarum de captivis seligerentur; quae, *p. 294. cum secundum mandatum * selectae essent et ante eum venissent, mandavit ut sponsarum modo in omni *re* ornarentur vestibus splendidis et pretiosis, et auro et argento, et gemmis et margaritis, et barbaris qui ultra regionem eius *erant* qui vocantur Turcii[4] donum mitterentur, ut eis placeret et gra-

[1] I *Macc.*, I, 35, XI, 21 (?). — [2] Sc. homines. — [3] V 'donum'. — [4] B om., V 'Avares'. E Mich., II, p. 350, et *Chron.* 1234, I, p. 206, l. 10 correxi (cf. cap. XII et XXIII). Nomen excidisse videtur, et in V e cap. XXIV male suppletum esse. De forma nominis vide p. 233, 244.

tum faceret ut eos conduceret. Quae cum ut mandavit perfecta essent, et magnifice ornatae essent, exercitu cum duobus m a r z-b ā n e cum eis dato, sumptus[1] largos eis mandavit et eas emisit, cum mandatum dedisset nę via urgerentur, sed placide iter
5 facerent et oblectarentur, ne deteriores et foedae fierent.

Haec autem adulescentulae cruciabantur non solum quod a patribus et fratribus et omnibus cognatis suis separabantur, sed et de animis suis etiam quae e christianismo peribant, itemque de corporibus suis quae in manus immanitatis[2] hos-
10 tium barbarorum tradebantur. Et, cum hae fletu et lamentis amaris exinde ut sorores inter se lingua sua una colloquerentur, omnes una sibi ipsis vice vitae mortem petebant. Quae omnia ab eis captivis aliis syris, qui viri erant cum m a r z b ā n e populares earum[3] et ceteris[4] qui eas deducturi et eis famulaturi
15 constituti erant, ut popularibus earum ⌜ab eis[5] arcano nota fiebant et retegebantur, ut etiam postremo omnibus retecta sunt, et ab illis popularibus earum qui eadem lingua utebantur nota facta sunt.

Quamobrem, cum ad *locum qui* quinque mansionibus[6] a po-
20 pulis barbaris ad quos mittebantur *distabat* pervenissent, et se * ad regiones ad quas mittebantur accessisse didicissent, accidit ut fluvius magnus et ingentissimus, quem transire difficillimum erat, eis obstiterit. Quamobrem, cum[7], ut qui eas ducebant eis gratum facere iussi erant nec eas urgere, iuxta
25 fluvium illum diem unum consederunt.

* p. 295.

Eae vero omnes secum invicem deliberaverunt, et inter omnes hoc unum consilium forte ac virile factum est, ut mortem contemnerent. Et omnes, cum alia ad aliam cucurrissent, inter se deliberaverunt et sibi invicem dixerunt, « Omnes una repu-
30 temus, postquam animas nostras paganismo pollueritmus, et cibis impuris iumentorum (?) et mortui et suffocati cum barbaris, et christianismum nostrum perdiderimus, fore ut omnes tandem morti tradamur, et ad iudicium tormenti tandem veniamus. Et nunc sorores sumus et christianae et filiae Chris-
35 tianorum. Ne alia ab alia separemur; sed una dehinc voluntas

[1] δαπανή. — [2] Sic. — [3] Clausula obscura et difficilis est. — [4] Vel 'cum ceteris'. — [5] Sic iteratum. — [6] μανσίων. — [7] Sic supervacuo.

et una anima et una mens et unum propositum nobis omnibus sit; et, antequam corpora nostra a barbaris polluantur et animae nostrae inquinentur et mors nobis tandem superveniat, nunc, cum corpora nostra pura sunt et animae nostrae ab inquinatione custoditae sunt, pro nomine et in nomine Domini 5 nostri Iesu Christi ipsae animas nostras et corpora nostra ei pure offeramus, et nos ipsas ex hoc tempore morti tradamus, eo consilio ut ab hostibus servemur, et pro dolore animarum nostrarum unam horam propter christianismum nostrum *tolerato* et puritate animarum nostrarum et corporum nostrorum 10 conservata vitam quae ad secula seculorum *durat* vivamus ». Itaque omnes unam rem et unum arcanum et promissum inter se inierunt, et sibi invicem iuraverunt, et una omnes sese in p. 296. fluvium illum iecerunt; et una * omnes submersae sunt, nec in manus barbarorum ceciderunt, quemadmodum omnibus pa- 15 riter hoc consilium placuit et ab omnibus acceptum est. Et, cum qui eas custodiebant eas observarent, arcanum clam egerunt dum horam exinde opperiuntur, cum hi apud eas semper adessent, et[1] eis dixerunt, « Nos, si vultis, in ripis huius fluminis lavari quaerimus ». Hi autem, cum[1] ut iussi erant eis 20 gratum facere vellent, eis ut lavarentur permiserunt. Eae vero eis dixerunt, « Pudet nos dum apud nos statis et nos observatis lavari. Sed recedite paululum a nobis, et sic lavabimur ». Itaque, ut fertur, eas reliquerunt et se ab eis removerunt. Et, cum omnes se invicem confirmassent et confortatae essent, 25 et omnes sese nomine Domini nostri Iesu Christi signassent, tum omnes una sese impetu vehemente in fluvium illum iecerunt et submersae sunt. Et custodes earum fluvium intuiti partem earum fluitare et in fluvio ut quisquilias ferri viderunt, et partem mergi; et, cum ad locum in quo ut lavarentur eos 30 rogaverunt cucurrissent, neminem earum vivam esse viderunt; et omnes amare lamentati sunt, dum huc et illuc currunt, ut unam earum eripiant, nec potuerunt, nec effugere habuerunt. Hae autem debiles, quae pro christianismo suo in Christo fortes factae sunt, ita sese in Dei manus tradiderunt, et a pollu- 35 tione et immanitate barbarorum spiritu et corpore servatae sunt.

[1] Mss. om.

* HISTORIA VIII, de pace brevi quae eo tempore in regionibus Syriae tres annos facta est, et quomodo rex Persarum in terram Romanorum, in Armeniam et Cappadociam, excurrerit. — Post[1] omnia haec vero convenit ut in regione Syriae pax tres annos fieret, cum et pro hac tria centenaria pro his tribus annis data essent, in Armenia autem ut utrique parti bellum esset. Quoniam vero de initio causae *unde factum est* ut Armenii Persarum se Romanis submitterent in ceteris historiis ecclesiasticis quae his antecedunt[2] memoriae breves a nobis datae sunt, nunc ad res posteriores narrationem nostram revocemus. Cum enim rex perses *ea* de causa quod Daram ceperat superbia raptus esset, superbia cordis eius eum decepit. Bellum sibi in Syria nullum esse exinde confisus, exercitu suo congregato, in Armeniam confidenter exiit, Theodosiopolim tendens quae in limite Armeniae eius *est*, et Caesaream Cappadociae, et ad ceteras urbes. Qui ita confidebat ut, cum Theodorus silentiarius ad eum legatione missus esset, et in eo fuisset[3] ut ad bellum exiret, eum secum duxerit, et, cum eum obsecraret ut eum dimitteret, is ei per ludibrium dixerit « Mecum in Armeniam veni, et mecum Theodosiopolim ingressus lavaberis, et ibi delectaberis, itaque te dimittam ». Itaque eum duxit et secum in Armeniam deportavit, se urbem sine labore intraturum et capturum profecto confisus.

* p. 297.

Exercitus autem Romanorum, cum haec didicissent, quamquam regis nomen timebant, se alacriter contra eum paraverunt. Quos cum vidisset, exercitus ingentes, valde sollicitatus est; plus enim quam centum * et viginti milia esse dicebantur. Qui cum itinere praeoccupato cum eo dimicaturi adfuissent, pavore perculsus ab eis declinavit, ut contra aliam urbem iret. Itaque et illuc etiam contra eum properaverunt et, ei obviam facti, eum inde etiam repulerunt; et, exercitu eius iam explorato, ipsi contra eum magis confirmati eum contempserunt. Et post haec, cum *rem* sibi secundum voluntatem suam non cecidisse vidisset, ad montes septentrionales versus profectus, ad Cappadociam spectavit, ut Caesaream intraret et expugnaret. Quamobrem, cum exercitus Romanorum vidissent, contra

* p. 298.

[1] In ms. praec. 'cum' sine sensu. — [2] II, XVIII-XXII. — [3] Sc. rex.

eum profecti et in Cappadociam etiam ante eum pervenerunt; et, cum ei obstitissent, itinere in ipsis montibus Cappadociae praeoccupato, eum cohibuerunt nec transire siverunt; et, castris contra se invicem multos dies positis, cum proelium universum[1] cum eis committere non auderet, et, cum eos se plures 5 et fortiores esse vidisset, nec se eos praetergredi posse et contra Caesaream ire, sollicitatus est et valde perturbatus; et exinde operam dabat si praetergredi posset et ad regionem suam evadere. Magi autem eius eum vituperaverunt et cum eo rixabantur. Dein reversus in Cappadociam contra Sebastiam exiit, 10 omnibus exercitus Romanorum trementibus; et ob pudorem, ne *id* ei obiceretur quod nihil eorum quae *agere* destinaverat facere potuisset, profectus Sebastiam igni cremavit. Spolia enim non invenit nec captivos; quoniam tota regio ante eum migraverat. Et, cum inde discessisset, tergo verso, ad orientem 15 versus exinde profectus est, ut ⌜ad regionem suam[2] si posset evaderet. Et exinde exercitus Romanorum eum parvi fecerunt, cum exercitum eius explorassent et eum contempsissent et contra eum confirmati essent. Quamobrem, cum eos eum cinxisse et ex omni parte adgressos esse vidisset, confestim ad montem 20 fugere coactus est, totis castris relictis et papilione[3] suo, * tabernaculo videlicet, et tota supellectile sua et impedimentis auri et argenti et margaritis, et omnibus vestibus magnificis regiis, et nudus fugere. Dein Romani propere ingressi castra eius tota occupaverunt, et omnes quos ibi invenerunt occiderunt, et omnem supellectilem ipsius et primorum eius abstulerunt, itemque aediculam ignis eius quem adorabat, et equos qui eam portabant et in pompa vehebant. Et nonnulli inde divites facti sunt, quod adeo *factum est* ut Romanorum nonnulli qui res regias invenerunt et ceperunt coniurati quodcunque 30 invenerunt ceperint et fugerint, nec rursus inventi sint vel visi. Qui autem a castris Persarum fugerunt et evaserunt ad ipsum regem iverunt, flentes et dicentes, « Domine, Romani nobis inciderunt, et servorum tuorum multos occiderunt et tota castra nostra spoliaverunt et ceperunt ». Is autem, his 35 *rebus* auditis, eis respondit, « Eos nolite curare ». Mandavit

* p. 299.

[1] δημόσιος. — [2] Ms. 'retroversus'; e l. 8 correxi. — [3] παπυλεῖον (?).

vero ut totus exercitus eum circumstaret, et scutorum murum ei erigerent; eosque ordinibus instruxit, et equo vectus per eos transibat eosque obsecrabat, dum canos suos eis ostendit, et dicit: « Fratres et filii, canis meis parcite, et ingressi pro re-
5 gno Persarum dimicate, ne illudatur et irrideatur. En ego ut eques unus e vobis vobiscum pugnabo ». Primores enim eius, ut fertur, cum eo adsidue rixabantur, dicentes: « Sive vivemus sive moriemur, nomen malum Persis in nobis accipiet, quod nemo regum Persarum quod fecisti umquam fecit, qui nos
10 adduxisti ut in his montibus moriamur ». Et ab eisdem discebant Romani quae inter eos dicebantur. Rursus vero Persae studio dato ad aliam partem profecti sunt ut * ad urbem fu- *p. 300.
gerent [1], et contra Melitenen exierunt ita ut, nisi invidia mutua fuisset et discidia ducum Romanorum, et *si* inter se con-
15 sensissent, eum et exercitum eius totum ibi delevissent; sibi enim invicem fidem dedissent, et se divisissent, et eum cinxissent. Et Iustinianum patricium filium Germani adversum spectaverunt [2], et timuit Iustinianus, et ante eum fugit; itemque collegae eius eum adire et adiuvare praetermiserunt. Qui [3]
20 cum vidisset ipse et exercitus eius, aucto animo et confirmati, Melitenen intraverunt et ignem ei intulerunt.

Historia IX, de incendio Melitenes, et ceteris rebus posterioribus. — Perses igitur, Melitenen urbem ingressus, statim mandavit et tota igni incensa est. Et cum exiisset Euphratem
25 transiturus, ad regionem suam tendens, deinde duces exercituum Romanorum nuntium ad eum miserunt huiusmodi: « Id quod fecisti quod urbem ingressus incendisti rege dignum [4] non est ut ruinas [5] faciat et circumeat. Nobis enim ipsis qui regis servi sumus quae fecisti si patrassemus turpissima es-
30 sent, quanto magis tibi, qui non solum regem sed etiam regem regum te habes. Regem enim haud decet eorum modo qui latrocinio eunt ut rapiant et fugiant et ignem inferant et incendant [6]; sed regis est strenue et confidenter et regie in proelio

[1] Obscurum est. Coni. Sm. 'urbem diruerent'. Legendum fortasse 'ad orientem fugerent'. — [2] Persae (?). — [3] Sic. Ad regem refert. Legendum fortasse 'quod'. — [4] τάξις. — [5] κλάσματα. — [6] Sc. 'facere', quod auctoris vel scribae incuria om. est.

aperte stare, et, postquam vicit, deinde ut regem triumphare, nec ut furem ingressum maleficia facere, et furari et fugere. Sed te para et iam proelio alteri contra alteros universo[1] stemus, ut apud quem et victoria et clades mansura sit aperte cognoscatur. Quamobrem, cum haec audivisset, proelium ad diem posterum in campo[2] qui ad orientem urbis *paulo* ab ea distabat fieri iussit. * Et diluculo diei ambae partes contra se invicem parvo intervallo instructae sunt; et a diluculo usque ad horam sextam instructi erant et stabant et se invicem intuebantur, nec vir *unus* loco suo motus est. Et rex post aciem suam stabat, dum se invicem intuentur, quisnam primus incepturus sit. Et nonnulli qui haec omnia nobis narraverunt iurabant, qui Persarum et Romanorum interpretes[3] erant, « Tandem nos, tres *videlicet* nostrum, equis calcari concitatis ex ordinibus Romanorum in partium medium egressi ad locum ubi Persarum ordines erant cursu citato ter processimus, et rursus cursu citato reversi sumus, nec ad eos pervenimus, dum equis citatis currimus, et ambae partes instructae nos intuentur (nos enim ut eos ad pugnam eliceremus egressi sumus); itaque nemo eorum loco suo motus est et contra nos exiit, cum ut murus instructi starent », nec nuntium saltem ad se invicem miserunt, nisi tandem quem ipse misit, « Dehinc iam proelium hodie non erit, quod hora praeteriit ». Itaque acies a se invicem reversae sunt. Et noctu, antequam dilucesceret, rex et exercitus eius ad fluvium Euphratem adfuit, *id* agens et studens ut ipsum fluvium transiret, qui sex millia passuum a Melitene distat. Romani enim eum adoriebantur, ut eum ad fluvium cogerent et perderent; quod etiam fecerunt. Et Persae se proripuerunt, et, cum exercitus Persarum exercitum Romanorum a tergo suo collocatos[4] esse vidissent, equis vecti sese in fluvium iecerunt, et plus quam dimidium exercitus eius mersi perierunt; et ipse et ceteri equis vecti et natando cum labore[5] evaserunt et transierunt; et in Armenia Romanorum rapide ducebant. Et, cum cursu citato progrederentur, mandavit ut omnes pagos qui eis obvii futuri essent * igni incenderent. Itaque ad montes altos Qarḥe[6], in quibus via

* p. 301. (margin)

* p. 302. (margin)

[1] δημόσιον. — [2] κάμπον. — [3] διερμηνεύτης. — [4] Sic. — [5] ἀνάγκη. — [6] Sc. 'procellosorum'; cf. *Patr. Or.*, XVII, p. 229.

numquam fuit, declinavit; et exercitus ante eum procedere coactus est, et viam ei facere. Quamobrem materias[1] lignorum caedebant, et alicubi ipsos montes perfodiebant et caedebant, et viam ei faciebant. Itaque perturbatus et mente vexatus vix
5 a manibus Romanorum effugit, et regionem suam labore[2] multo intravit. Itaque ut fertur mandatum fecit et legem[3] dedit, ne rursus rex ad bellum exiret, nisi contra regem exiturus esset.

HISTORIA X, de eis quae tandem Romanis in Armenia Per-
10 sarum acciderunt. — Ductores vero exercituum Romanorum, postquam victoriis magnis claruerunt, et proeliis multis vicerunt, et eorum qui contra eos mittebantur partem magnam pessum dederunt, et omnes populos septentrionales qui Persis subiecti erant subegerunt et subiecerunt, et in terras Persa-
15 rum ad mansiones[4] multas penetraverunt et vastaverunt, usque ad *loca quae* tribus mansionibus[4] ab urbe regia Persae *distabant,* et elephantos Persarum praedati ceperunt et Constantinopolim elephantis compleverunt, et multis quae narrationem excedunt claruerunt, et Persis tota ante eos tremuit,
20 tum demum, rege Persarum ad regionem suam anno 880 Alexandri reverso, deinde Romani securi iam facti sunt et superbia elati, utpote qui contra regem firmiter stetissent, et ex illo *tempore* sine timore se gerebant, se ab omnibus bellis et pugnis iam liberatos esse et requievisse putantes, et exercitus
25 omnes confidenter et serene considebant, armis nudati et equis omnibus ad pascuum dimissis. Et en * subito sculca[5], exploratores videlicet, eorum advenit, et dicunt: « Surgite vos armate, quod en exercitus Persarum cum Ṭām Kāsrun m a r z b ā n ā in vos venit. Cavete ». Quae cum audivissent, eos irriserunt
30 et contempserunt, dicentes: « *Num* hi audere possunt et apud nos etiam videri? », nec expergefacti sunt et se parare studuerunt. Quamobrem, dum ei loquuntur, en exercitus Persarum eis supervenit, pugnare cum eis non parati, sed facies tantum eis ostendere. Quos cum ordinibus magnis extensis ut muris
35 venientes vidissent, tremor et timor omnibus simul incidit. et

* p. 303.

[1] ὕλας. — [2] ἀνάγκη. — [3] νόμος. — [4] μανσίων. — [5] σκούλκα.

perturbati sunt, cum ne equi eorum quidem collecti essent, et ipsi edendo et bibendo et deliciis[1] occupati essent, et ipsi dispersi essent. Et quicunque vidit commotus est, et cursu citato fugere inceperunt; et alii qui alios fugientes viderunt et ipsi quoque territi sunt et fugerunt; et duces exercituum, 5 cum se derelictos esse et exercitum ab eis fugisse vidissent, et ipsi etiam fugerunt. Et quisquis arma sua sumere et equum suum capere potuit equo conscenso fugit; et sunt qui pedibus fugientes arma portaverunt, et cum cursu fatigati essent armis in via abiectis nudi fugerunt; et sunt qui, si equis cum 10 armis vehebantur, si fatigati sunt, arma a se abiecerunt, et, si equis etiam vires defecerunt, eis degressi pedibus fugerunt. Itaque Persae sine festinatione post eos ibant, cum eos non persequerentur, sed eos deriderent et cavillarentur et illuderent, quod centum et viginti milia erant, et hi triginta milia 15 non excedebant, et ita ab eis commoti sunt et fugerunt, cum a rege eorum non commoti essent nec fugissent. Itaque tandem omnes exercitus Romanorum cum ducibus suis ignominiam et 'nomen fetidum'[2] *sibi* induerunt, cum Persae ne

* p. 304. gladium quidem contra eos strinxissent, nec * arcum inten- 20 dissent et sagittam omnino in eos emisissent. Arma vero eorum ipsorum omnia collegerunt et loricas[3], et thoraces et scuta et galeas, et hastas et gladios et contos[4] et arcus, et pharetras sagittis innumeris plenas. Dicebatur enim tandem et ab omnibus referebatur *id accidisse* quoniam Romani has regiones 25 septentrionales quae christianae[5] erant ingressi Deum exacerbassent, et, quando sacerdotes evangelio et crucibus adsumptis eis obviam exirent, eos non respicerent, et tandem ipsi Romani, insolentia sine timore Dei usi, pueris *qui* annum unum et duos nati *essent* sumptis pars singulos crure prehen- 30 derent, et sursum quantum possent excuterent, et alii cum descenderent contis[6] et gladiis reciperent, eosque transfigerent et canibus obicerent, et viros praeterea monachos contumelia adficerent et occiderent et *bonis* spoliarent, necnon inclusos etiam, viros senes et magnos, a domibus inclusionis eo- 35

[1] στρῆνος. — [2] *Ex.*, XXXII, 25 (syr.). — [3] ζάβας. — [4] κοντάρια. — [5] Corrigendum fortasse 'Christianorum'. — [6] κοντάρια.

rum post multos annos eductos suspenderent et cruciarent, et pudenda eorum gladiis desecarent, dum dicunt eis, « Aurum et argentum adferte ». Mulieres praeterea moniales similiter cruciasse dicuntur, donec morti acerbe traderentur. Et ob
5 haec mala ut dicebatur quae faciebant Deum exacerbaverunt eosque ignominia adfecit et ante hostes eorum confregit, nec ante eos stare potuerunt.

Historia XI, de Armeniis Persarum qui se Romanis dediderunt. — De causa igitur quae Armeniis Persarum fuit ut
10 venirent et se Romanis dederent, et de tempore et de proeliis multis et vastatione quae ibi fuit, et de eis qui ad urbem regiam ascenderunt et a rege recepti sunt, * et dignitatibus magnis et donis multis honorati sunt, et de rebus[1] huiusmodi in narrationibus nostris prioribus[2] memorias breves de eis[3]
15 protulimus. Nunc autem sermone nostro praedicare volumus[4], cum rex noster Romanorum tot certamina quae ei cum Persis fuissent[5] ne eos traderet qui propter christianismum venerant *et* apud eum confugerant, et, postquam ut ita dicamus rex Armenios omnes donis et muneribus magnis ditasset, item-
20 que tributi[6] remissionem trium annorum eis dedisset, cum Perses ei nuntium mitteret « Da mihi servos meos qui a me defecerunt » nec ei obtemperaret, deinde Perses consilio excogitato ipsis Armeniis fidem litteris fecit se malum eis non facturum nec delictum eis ⌜in memoriam revocaturum[7]. Dein-
25 de se a Romanis averterunt et profecti se ei tradiderunt tota regio praeter principes qui Constantinopoli apud regem erant, tota scilicet regio circa viginti milia se verterunt *et* profecti se Persis dediderunt; et Armeniam rursus ut antea recepit. Principes vero eorum ipsorum unus cui nomen Wardon et
30 ceteri qui cum eo *erant*[8] cum rege populi cui nomen Gorgonius cum toto suo ipsius populo qui se Romanis dediderant, qui et ipse in urbe regia honore multo mansit, pro eo quod

* p. 305.

[1] Legendum fortasse 'ceteris *rebus*'. — [2] II, xviii-xxii. — [3] Ita iteratum. — [4] Hoc sine constructione seq. relictum est. — [5] Sc. 'suscepisset', quod auctoris aut scribae incuria om. est. — [6] συντελεία. — [7] Aut 'recordaturum'. — [8] Sc. 'Cpoli manserunt', quod auctoris aut scribae incuria om. est. Perobscura est clausula.

venerant *et* se regi Iustino dediderant anno 5° regni eius qui est annus 882 Alexandri et tempus belli quod propter eos *gestum est* usque ad tempus *aliquot* annorum amplius duravit.

Historia XII, de legatis Romanorum et Persarum, qui ex *p. 306. ambobus * regnis inter fines convenerunt, de omnibus rebus propter quas bella excitata erant invicem litigaturi et disputaturi, qui se invicem vituperabant. — Porro anno 887 senatores[1] tres, Theodorus patricius, filius Petri magistri, et Iohannes et Petrus consules[2] de genere[3] domus Anastasii regis[4], cum Zacharia surensi medico et sophista ad finium limitem in legationem missi sunt. A Persis vero advenerunt etiam Mebodes et ceteri, et iuxta Daram, quam Persae tenebant, de eis quae in utraque republica[5] perpetrata erant invicem litigaturi et disputaturi consederunt, cum pars utraque alteri obiceret, dicens, « Vos in illa et illa re ius violastis », et alteri rursus criminationes alias proferrent et dicerent, « Vos pacem quae inter duas respublicas[6] *erat* fregistis, et transgressi regiones nostras vastastis », et alii dicerent, « Ṭayāye vestri transgressi in nostra *terra* damnum fecerunt ». Tales alteri contra alteros considebant, et criminationes et lites et quaestiones huiusmodi invicem excitabant, donec ad rixas et probra perveniebant; et annum unum et amplius dicendo et audiendo compleverunt, cum pars utraque regem suum certiorem facerent, et Dei amans Tiberius Caesar, pro eo quod rex Iustinus aegrotabat, responsa[7] daret et acciperet. Et, cum ambae partes pacem mutuam quaererent, utraque earum, ne se alteri vilem redderet et debilem ostenderet, alteri firmitatem ostendebat.

Caesar enim Romanorum ad Persas nuntium mittebat, « Nos pace magis quam caede gaudemus; et, si pacem quaeris, *p. 307. non recusamus. * Si autem et bellum quaeris, te non debiliores sumus; sed contra te parati sumus ». Perses vero exspectabat, quoniam, ut pacem *in* tres annos faceret, tria centenaria ei data essent, ita et tunc, si pacem cum Romanis facturus

[1] συγκλητικός. — [2] ὕπατοι. — [3] γένος. — [4] Cf. II, xi. — [5] πολιτεία. — [6] πολιτείας. — [7] ἀπόκρισις.

esset, annis singulis *in* quos *pax* futura esset se centenarium recepturum putabat [1]. Quod cum Caesari cognitum esset, scripsit et misit ei: « Si regnum Romanorum tibi unam minam pro pace daturum putas, sane erras; et si etiam nos pacem auro
5 empturos censes. Sed si honore aequo amborum regnorum ea *pacem* mutuam facere vis pax inter nos fiet, sin autem, accipe bellum ». Quamobrem Perses, cum sententiam huiusmodi recepisset, verbis haud paulum commotus est, sed *id* quoque sibi suscepit ut pax aequa sine auro fieret. — Rursus, cum Cae-
10 sar hoc responsum [2] recepisset, scripsit iterum, « Noveris regnum Romanorum numquam debile fuisse, sed forte esse, nec cuiquam subiectum esse; nec scio unde reges priores se *ad id* demiserint ut auri quinque centenaria Persis quotannis darent. Noveris autem regnum Romanorum quinque minas nec tibi nec
15 alii umquam amplius daturum; quoniam legati tui ad populum barbarum Turciorum [3] se iactabant et dicebant, 'Romani servi nostri sunt, et ut servi contempti tributum nobis pendunt [4], et, nisi hoc abolebis, pacem tecum non faciemus ». Et, cum multa quidem abolita (statim scilicet) essent, haud tan-
20 tum simpliciter mandavit, sed statim tributa [5] etiam abolevit, et exemplaria chartarum [6] pacis fecit et ad fines ad legatos misit. Quamobrem rursus, * cum Caesar eum his *rebis* adsensum esse vidisset, nuntium ei misit: « Daram urbem nobis protinus da, et pacem faciemus ». Quod cum Perses recepisset, *p. 308.
25 valde eo conturbatus scripsit « Daram ego belli lege [7] cepi. Tu autem regiones servorum nostrorum Armeniorum sine bello cepisti easque retines. Da mihi Armeniam, et tibi Daram dabo ». Et, cum Caesar propter Armenios *ab eo* abhorreret ut eos traderet quod christiani erant, qui et propter hoc se
30 regno christianismi dediderunt, hac de causa legati partium ambarum ad rixam mutuam magnam pervenerunt, donec arma ceperunt ut alteri contra alteros gladio concurrerent. Itaque mutuo exacerbati alteri ab alteris discesserunt, et pacis *consilium* prorsus desiit, dum ambo regna se dehinc ad dimi-
35 cationem parant. Legatus vero Persae primores suos vocatos

[1] Verbum incuria iteratur. — [2] ἀπόκρισις. — [3] Sic (Τουρκίους). — [4] Cf. p. 245. — [5] συντελείας. — [6] χάρτης. — [7] νόμος.

admonebat, dicens, « Ite finibus cavete, quod Romani pacem non facient ».

Historia XIII, de vastatione quam Persae in terra Romanorum statim eis diebus fecerunt. — Adārmahan[1] igitur m a r z b ā n ā magnus Persarum, qui de pace cum legatis Romanorum locutus erat, simul ac pacem dehinc non fore statuerunt, stomacho suo exacerbatus quod a legatis sugillatus erat, exercitu congregato egressus totam penitus terram Darāye et Tellāye et Telbešmāye vastavit et incendit, et terram Rišʿaināye pagos celebres et ecclesias et monasteria, et totam regionem vastavit et incendit et occidit et contra Tellā venit, et dixit eis: « Urbem nobis tradite, ne id vobis fiat quod Darāye factum est et pereatis. Quod ubi sunt legati vestri qui *p. 309. nobis minabantur? Veniant nunc *et* * contra nos egrediantur». Cives autem Tellā eis dixerunt: « Nos nunc nos vobis dedere non possumus; quoniam epistulas accepimus Iustinianum patricium profectum esse ut adveniat, et sexaginta milia Langobardorum cum eo esse; et, si nos nunc vobis dedemus, is adveniet, et nos statim a terra penitus tollet ». Itaque ab eis reversi sunt, cum templum Deiparae magnum et ingens quod extra ipsam urbem *erat* incendissent cum ceteris malis aliis, et Daram reversi sunt, dum Romanos illudit et damnum vastationis quam fecerat iactat et captivos quos abduxerant, et praedam multam quam egerant.

Historia XIV, de comite Mauricio et ceteris *rebus*, et de fraude et vastatione Persarum. — Cum igitur duces copiarum exercitus[2] Romanorum se sibi invicem non accomodarent, tum in se et contra se invicem Caesari scribebant. Quamobrem, cum Dei amans Caesar quendam e suis cui nomen Mauricius vidisset, qui in loco comitis excubitorum constitutus erat, itaque comes vocabatur, eum advocatum caput omnium ducum copiarum ad Orientem descendere iussit; eique auctoritatem dedit ut omnes ⌜magistros militum[3] et tribunos totius exercitus disponeret et ordinaret et regeret, et mandatu eius[4]

[1] Vide p. 221, n. 4. — [2] ἐξέρκετον. — [3] στρατηλάτοι (sic). — [4] Clausula aliter continuatur, et hae voces sine constructione relictae sunt.

et contra verbum oris eius nemo eorum ullo modo agere auderet, et ut quos vellet conscriberet et de militia exauctoraret auctoritatem ei dedit, eumque cum centenariis multis commeatus copiis *providendi* causa misit; quemadmodum ante
5 hunc etiam praefectus[1] praetorianorum cui nomen fuit Gregorius ut copiarum sumptus[2] disponeret et curaret missus erat, qui ibi in Armenia in omnibus *rebus* prospere egit. Mauricius vero illustris cum iussus *et missus esset ad regionem suam Cappadociam primum tetendit (fuit enim etiam *p. 310.
10 cappadox); et statim romanos[3] multos collegit ac conscripsit, itemque excubitores multos et scribones et exercitum qui adfuit secum adsumpsit; necnon ex Urṭaye[4] et e Syris populum multum collegit ac conscripsit, et facto itinere inter Armeniam et Syriam, apud Qithariz videlicet, constitit. Et om-
15 nes duces copiarum arcessitos congregavit et cum eis locutus ordinavit et datis mandatis firmavit et dimisit. Et, cum tempus duorum mensium ibi consedisset, et nomen eius exiisset, et timor eius Persis omnibus incidisset qui copias Romanorum se maiores et fortiores esse viderunt, et cum ibi essent,
20 timor eis incidit, et fraude facta se ex adverso Persidis in Armeniam coniecerunt, nuntio eis qui Theodosiopoli considebant misso: « Post triginta dies vos parate et accipite pugnam ». Quamobrem, cum Romani hoc mandatum[5] recepissent, nuntium comiti Mauricio miserunt, ita ut is etiam totum exer-
25 citum ad bellum accingi iusserit. Persae autem, simul ac hoc responsum[6] miserunt, fraude *dolum* excogitaverunt ut Romanos deciperent, et, cum se parassent, exercitu suo collecto regionem suam peragrati prope Maipherqaṭ[7] in terram Romanorum venerunt et exierunt, et Sophanenen totam vastare et
30 incendere inceperunt, et praesertim ecclesias omnes et monasteria,[8] et totum agrum Amidensium, et totam regionem. Et contra Amidam venerunt, et viciniam eius totam usque ad murum eius, ecclesias omnes et monasteria magna quae circa eam *erant*, incenderunt; et contra urbem triginta dies conse-
35 derunt. Et, cum se eam expugnare non posse vidissent, nec-

[1] ὕπαρχος. — [2] δαπάνη. — [3] Sc. milites. — [4] Vide p. 141, n. 4. — [5] μανδᾶτον. — [6] ἀπόκρισις. — [7] Martyropolim. — [8] Hic seq. particula 'cum' quod construere nequeo. Verbum fortasse excidit.

non quod timuerunt ne Mauricius cum exercitu suo eis superveniret et caedem facerent[1], tum regionem totam Mesopota-
* p. 311. miae quasi * momento incenderunt ac diripuerunt, et reversi regionem suam intraverunt. Quamobrem, cum Romani ad belli ⌈*diem* statam[2] se pararent, Persae eos deceperunt, et tan- 5
dem quasi furtis et quasi latrocinio anno 888 Alexandri, eo anno quo Mauricius etiam ab urbe regia descenderat, egressi Mesopotamiam totam incenderunt et populati sunt et captivos ex ea deduxerunt, itaque cursu repentino captivis et quodcunque invenerunt ablatis ad regionem suam ob metum 10
Romanorum effugerunt, cum diebus circiter duodeviginti populationem tantam fecissent et reversi essent.

Historia XV, de eis quae postea ab eodem Mauricio gesta sunt. — Mauricius autem comes his *rebus* auditis commotus est et valde exarcerbatus. Et toto exercitu suo collecto ad Ar- 15
zun regionem opulentam Persarum impetu irae cursum direxit, quia a Persis illusus et irrisus erat. Et ingressi vastaverunt et diruerunt et captivos multos ex eis deduxerunt; et *loca* expugnaverunt et usque ad Tigridem pervaserunt, et descendit et captivos abduxit et diruit et totam regionem in- 20
cendit. Et, quoniam Christiani veri sine fraude erant, copiis et ducibus copiarum cum ministerio et crucibus et evangelio obviam exibant, dum ab eis de vitis suis fidem petunt et dicunt: « Miseremini nostrum, quod christiani sicut vos sumus; etenim servitutem etiam regi christiano praestare parati su- 25
mus ». Quamobrem, cum Mauricius et ceteri a multis eorum haec audirent, misericordiam faciebant, eis dicentes, « Quisquis vestrum vivere vult et regi christiano servire, pecus suum agat et iumenta omnibus possessionibus suis oneret, et vivet,
* p. 312. nec eum occidemus; et, si eum * hic post duo vel tres dies in- 30
veniemus, morietur ». Itaque pars magna eorum, quicunque e caede evasit, fugit et ad terram Romanorum exiit, magna pars regionis Arzenāye. Quamobrem, cum haec regi cognita essent, mandavit et ad Cyprum insulam missi sunt, et in pagos omnes totius insulae divisi, et ibi fuerunt. Persae vero qui clam se 35

[1] Sc. Romani. — [2] προθεσμία·

subduxerunt et terram Romanorum invaserunt et incenderunt Mauricium formidantes, ne eis cursu rapido superveniat, diebus quindecim quantum potuerunt percurrerunt et incenderunt; itaque formidantes fugerunt et, priusquam Mauri-
5 cius eis superveniret, in regionem suam transierunt.

HISTORIA XVI, de Mondir filio Ḥarith et de Mauricio, qui post haec rursus terram Persarum una invaserunt. — Rursus una Mauricius et Mondir filius Ḥarith rex Ṭayāye una[1] copiis suis collectis regiones Persarum via quae per desertum
10 fert invaserunt. Et ingressi per regiones Persarum multas mansiones[2] usque ad Beith Arāmāye penetraverunt, et, cum ad pontem magnum Beith Arāmāye pervenissent, quo se transgressos urbes magnas regias[3] Persarum expugnaturos esse confidebant, pons intercisus *esse* inventus est, quem Persae
15 certiores facti interciderant. Itaque, cum ipsi et copiae eorum, et praesertim Romani destitutionem multam vidissent, tum ad rixam mutuam pervenerunt, et reversi sunt, cum nihil prosperum facere potuissent; et vix infractis animis se servare et ad terram Romanorum exire potuerunt, dum accusationes malas
20 invicem scribunt, cum Mauricius de Mondir putasset eum ipsum antea nuntium misisse et Persis indicasse, *eos*que pontem intercidisse ne transgrederentur, quod falsum fuit. * Regi *p. 313. autem labor multus fuit ducibus[4] nuntios mittenti, et vix eos inter se conciliavit[5]. Tandem vero Mauricius ad regem ascen-
25 dit, nec an Mondir accusasset compertum est[6].

ITEM HISTORIA XVII, de m a r z b ā n ā Persarum, qui invasione facta agrum Tellāye iterum incendit, et agrum Edessenorum, et agrum Carrhenorum et cetera. — Cum igitur Persae Mauricium et Mondir ad regionem eorum descendisse vidis-
30 sent, et regionem exercitu nudatam esse vidissent, m a r z b ā n ā Persarum cui nomen fuit Adārmahan cum exercitu magno terram Romanorum invasit; et, cum ad agrum Tellāye et Riš'aināye venisset, reliquum quod prius[7] omiserant diruit et incendit; et agrum Edessenorum regionem opulentam tran-

[1] Sic iteratum. — [2] μανσίων. — [3] Aut 'regni'. — [4] Mauricio et Mondir. — [5] Ms. 'conciliaverunt'. — [6] Cf. III, XL. — [7] Cf. cap. XIII.

sierunt, et totam regionem Osrhoenae incenderunt et diruerunt, cum in regione confidenter sine timore ultro citroque, tamquam in regione sua consideret, multos dies agmen duceret; nec ubicunque transibat domum stantem relinquebat, dum totum exercitum Romanorum illudit quod eum depellere non 5 potuit. Tandem vero, cum Mauricius et Mondir a terra Persarum infractis animis ascendissent, eosque contra eum ire quaerere audivisset, is eos illudens nuntium eis misit, « Quoniam audivi vos contra me venire paratos esse, nolite vos fatigare ut veniatis, quod itineris labore fatigati estis; sed re- 10 quiescite, et ego ad vos veniam ». Et tandem post caedem et praedationem et captivorum abductionem quam fecit, et[1] captivos abduxit et quidquid voluit fecit, eosque contra eum ire quaerere audivit, praeda omni et captivis omnibus quos abduxit adsumptis, ex agro Edessenorum fugit[2] et ad regionem 15 *p. 314. suam abiit, cum * ducentorum milium Romanorum qui regis *cibum* comedebant nemo eum depulisset. Sed, cum in viam se dedisset ut abiret, eum adgressuri exierunt; et, cum eum non consecuti essent, eum fugisse dixerunt.

Historia XVIII, de Mondir filio Ḥarith, et de victoria qua 20 potitus est. — Contra Mondir vero filium Ḥarith totus exercitus Ṭayāye Persarum collectus est quibuscum exercitus quoque ipsius Persae adfuit, ut ascenderent et Mondir inciderent, postquam a terra Persarum ascendit. Qui certior factus utpote bellicosus non tardavit, sed statim exercitu suo collec- 25 to eos ⸢in via[3] quae per desertum fert observavit, cum missis speculatoribus ubi et quot essent didicisset; et cum subito eis imprudentibus incidisset, stupefactos conturbavit et trucidavit et perdidit, et partem eorum in vincula ac catenas iniecit, ita ut pauci tantum eorum evaserint. Unde, cursu ad ca- 30 stra[4] eorum directo, ea vastavit et incendit; et invasione facta cum praeda multa et captivis multis reversus est, et gloriam magnam adeptus est.

Historia XIX, de eis quae a captivis gesta sunt qui Antiochiae inclusi erant, quam Chosroes in terra Persarum aedi- 35

[1] Sic. — [2] Ms. 'diruit'. Corr. Sm. et Schönf. sine nota. — [3] Ms. om. — [4] Ḥirtha (cf. p. 131). Hic Al Ḥira Arabum est.

ficavit, et in qua omnes captivos terrae Romanorum nunc usque inclusit. — Postquam captivi Dara et Apamea et ceteris *urbibus* abducti sunt, tum Persae omnes captivos earum ad terram Persarum deportaverunt, quorum, cum Nisibi ante 5 regem numerati essent, numerus ducenta septuaginta quinque milia fuit, et ceteros qui non divisi sunt introductos Antiochiae inclusit, quae ab eo aedificata est quando Antiochiam expugnavit et captivos ex ea abduxit, et in regione sua urbem nomine eius aedificavit, in qua captivos etiam omnes inclusit 10 * quos Antiochia et a tota regione[1] eius abduxerat, in qua et *p. 315. Darae etiam et Apameae *captivos* inclusit, et omnes ceteros captivos quos postea abduxit. Qui ne in inclusione quidem sua et in custodia firma qua custodiebantur astutiis temperaverunt, quas commodo suo ut putaverunt commenti sunt. Cum 15 uno enim Persarum qui eos custodiebant et murum custodiebant coniuraverunt; et, cum z ü z e collegissent, quingentos ei dederunt ut duo eorum de loco quem custodiebat noctu fune demitteret. Qua etiam adfuerunt monachi beati ṭayāye[3] quorum uni nomen fuit Beniamin, et alteri qui discipulus eius 20 erat Samuel, et se paraverunt, si inde exituri et evasuri essent, ad regem Romanorum viam statim dirigere eumque de captivis, milibus multis qui Antiochiae inclusi erant, certiorem facere[4], cum et captivi omnes etiam nuntium per eum misissent, « En nos plus triginta milia sumus qui hic inclusi su- 25 mus, et Persae qui nos custodiunt haud plus quingenti viri sunt; et, si unus e ducibus Romanorum mittetur, et extra urbem videbitur tantum, nos Persas occidemus, et exibimus et in regionem Romanorum evademus ». Quamobrem, cum haec ipsi beato illi ab omnibus captivis quasi secreto dicta essent, 30 Perses qui pretium acceperat eum et socios[5] eius funibus de muro noctu demisit, et effugerunt et in terram Romanorum evaserunt. Et primo ducibus Romanorum haec indicavit, *ita* ut ei etiam scripserint eumque ad regem miserint. Quamobrem, cum ad urbem regiam pervenisset, ad nos venit. Et, 35 cum haec ⌈magistro *officiorum*[6] indicasset, et is ingressus re-

[1] χώρα. — [2] Sc. 'drachmas'. — [3] Sc. duo qui selecti sunt, quod auctoris incuria, ut videtur, om. est. — [4] Sing., sc. Beniamin. — [5] Sic. Supra duo tantum fuisse dicuntur. — [6] μάγιστρος.

* p. 316. gi * Tiberio indicasset, *rem* neglexit, et *ita egit* quasi ea vera *esse* non censeret; itaque ratio salutis omnium illorum captivorum qui iniuriam patiebantur dilata est et irrita facta.

Historia XX, de morte Chosrois regis Persarum, et de tempore regni eius, et ceteris *rebus.* — Haud igitur indecorum *est* ut, quamquam de mago et hoste tractamus, tempus et mortem Chosrois regis Persarum etiam describamus. Qui, ut facta eius testantur, astutus fuit, et sapiens; et totum tempus vitae suae in philosophia legenda adsiduus erat, et, ut dicitur, cui omnes libros omnium religionum colligere cura fuerit, quos omnes legeret et perscrutaretur, ut sciret qui veri ac sapientes essent, et qui viles et nugis pleni et fabulis vanis. Quamobrem, cum omnes legisset et perscrutatus esset, magis quam omnes Christianorum libros laudasse fertur et dixisse, « Hi omnibus religionibus veriores et sapientiores sunt », et propter hoc in eis magis adsiduus fuisse, et dicta eorum legisse eisque credidisse. Quapropter nec Christianos odisse videbatur; et, etsi a magis contra Christianos incitaretur, ipse persecutionem contra Christianos haud multum [1] iussisse visus est.

Aliquando enim catholicus Nestorianorum, qui apud eum adsiduus erat, contra paucos episcopos orthodoxos qui *in* terra Persarum sunt (pro eo quod omnes episcopi totius terrae Persarum nestoriani sunt et pauci orthodoxi inter eos inveniuntur), accusationes fecit, *ita* ut, cum catholicus accusationes duras contra hos fecisset, rex hos venire iusserit, et ante

* p. 317. se pro fide eorum invicem disputare, ideo ut * quae ab eis et inter eos dicebantur ipse cognosceret et per se experiretur, et verba eorum iudicaret, et qui inter eos *melius* loquerentur sciret.

Quamobrem, cum orthodoxi advenissent, ambas partes quotquot erant congregari iussit et ante se ingredi. Qui cum ante eum ingressi essent, et partes ambae hic et illic ante eum stetissent, cum princeps orthodoxorum episcopus esset, vir sanctus quidam cui nomen fuit Aḥudemmā, rex eos disputare

[1] Sic. Sm. 'saepe', quod sensum fortasse exprimit.

iussit et quod de fide sua *dicere* haberent invicem dicere. Et, cum incepisset catholicus et socii eius cum orthodoxis loqui, eumque exspectassent et incepisset et finem fecisset, deinde ipsi locuti sunt, et rege etiam iudice adsumpto verba eius om- 5 nia dissolverunt et eum confuderunt. Et, quoniam multa sunt quae inter eos disputative dicta sunt, nec exscribi facilia, ea praetermisimus.

Dein Chosroes rex quae ab orthodoxis dicta sunt accepit et laudavit. Ad catholicum dicit: « Hi sciunt quod dicunt, et 10 verba sua comprobare ac confirmare possunt, quae mihi quoque veriora esse videntur. Vestra autem turbata ac confusa sunt, et fundamento carent. Quamobrem nec vos verba vestra comprobare videmini, nec mihi etiam constantiam et veritatem habere videntur, ut quae ab his dicta sunt. Quibus de causis 15 vos eos contra ius et aequitatem ante me accusasse mihi cognitum est. Et dehinc, cum ipse vidi et audivi, vos amplius eos offendere vel eis nocere veto ». Quamobrem, cum haec iussisset, orthodoxi omnes procubuerunt eumque adoraverunt, eique gratias egerunt, dicentes, « Domine, nos persequuntur et 20 invadunt et spoliant, et ecclesias nostras evertunt, et monasteria nostra, nec nos pro salute * et conservatione vitae ves- *p. 318. trae ac regni vestri Deo preces et petitiones in eis offerre sinunt ». Dein firme eos iussit, « Ite et ecclesias vestras ac monasteria aedificate, nec quisquam vobis nocere amplius vale- 25 bit ». Itaque, cum eum adorassent et pro eo precati essent, ad regiones suas gaudio magno reversi sunt.

Et exinde omnes orthodoxi qui in regionibus Persarum *erant* fiducia[1] multa securi versabantur. Quamobrem, cum hoc mandatum accepissent, rem magnam patrare ausi sunt, adeo 30 ut catholicum ipsi etiam per beatum Mār Iacobum episcopum orthodoxorum iam ex eo tempore constituerent, quod in regione Persarum numquam factum et patratum erat. Et ex eo tempore et nunc usque catholicus fidelium duravit ac perstitit.

Historia XXI, quomodo Chosroes se ob ruptam pacem quae 35 inter regna *erat* adflictum et contristatum esse ostenderit, et quomodo post vastationem etiam multam, quae in utraque re-

[1] παῤῥησία.

publica[1] facta est, is pacem facere quaesiverit et multa concesserit. — Ne igitur ab aliquibus putetur nos quasi magum extollere volentes rem eius memoriae tradidisse, sed pro eo quod ut in aenigmate Samson dicitur « De comedente exiit cibus, et de amaro exiit dulce »[2] ita amarissimum *est*[3] (et 5 quid amplius adhuc de viro pagano et errante dicere *est*?), sed propter ea quae historiarum proposito conferunt ad rem eius exscribendam pervenimus. Quamobrem, cum pax quae inter fines *erat* rupta esset, se adflictum esse et maerere ostendebat, *ita* ut, quando contra Daram veniret, chartae[4] pa- 10 cis quae inter eos *erat*, ut dicebatur, adnexae et caelum versus suspensae ei anteirent, dum dicit, « Vide, Deus magne, * p. 319. qui * me omnem hanc vastationem et sanguinis hominum effusionem quae in utraque republica[1] facta est noluisse et nolle ipse scis ». Et rursus etiam, cum mors eius propinqua 15 esset, se concessionibus factis *id* quaesivisse ostendit, ut pax fieret, dum putat singulis annis *in* quos pacem facturus esset se secundum consuetudinem trium annorum praeteritorum auri centenarium[5] recepturum. Et, cum legati Romanorum et Persarum ad fines tractatus[6] causa convenissent et de pace collo- 20 cuturi, quemadmodum supra notum fecimus[7], deinde victor Tiberius, cum vivente Iustino adhuc Caesar esset, et Persae omnes eum metuerent, fortem se praebuit et perstitit, dicens, « Regnum Romanorum debile non est, nec regno Persarum subiectum, nec nos ea de causa ut pax fiat unum centenarium 25 dabimus, et, nisi honore aequo[8] regni pax fiet, ego cum eis numquam omnino pacem faciam ». Quod regem Persarum haud paulum perturbavit, qui etiam magis suis congregatis dixit eis: « En de Caesare qui *in* terra Romanorum factus est discimus eum puerum esse adulescentem et bellicosum, et 30 me iam videtis senuisse, nec bellis laborare amplius posse; et iam pacem cum Romanis faciamus, quod eis non pares sumus ». Itaque consiliis collatis nuntium miserunt, « Ne putetis me de auro curare, et aurum paci praeponere, en iam ho-

[1] πολιτεία. — [2] *Iudic.*, XIV, 14. — [3] Hoc vix intellego. Aliquid fortasse excidit. — [4] χάρτης. — [5] Ms. 'centenaria'; cf. p. 233. — [6] τρακτᾶτον. — [7] Cap. XII. — [8] Aut 'digno'. Sed legendum fortasse pro 'regni' 'regnorum'. Vide infra, p. 243, l. 1, et p. 233.

nore aequo regnorum pacem faciamus et desinat vastatio, nec quidquam posco ». Et, cum hoc professus esset, aliud rursus opprobrium in eum iecit victor Caesar Tiberius, dicens: « Noli etiam putare te auri quod nunc usque a terra Romanorum
5 recipiebas unam minam amplius recepturum; quoniam haud * adeo labefactum est regnum Romanorum ut tributum Persis pendat ». Perses autem ad haec nuntium misit, « Aurum quod datur a regibus prioribus statutum est, nec tu id statuisti. Noveris autem mihi pacem omnibus rebus optatiorem esse.
10 Haec centenaria etiam remittam, et pacem faciamus ». Quamobrem, cum Caesar Persen ad haec se adcommodasse et pervenisse vidisset, nuntium ei misit: « Nisi Daram nobis dabis, pacem tecum non faciemus ». Quamobrem, Persis hac *re* conturbatis, pax rupta est, et a finibus rixa discesserunt, donec
15 contra se invicem arma sumpserunt, et vastatio statim in utraque republica[1] incepit. Et statim eo tempore Chosroes rex mortuus est anno 890, et regnavit filius eius, Qui ipse Chosroes ut ei computant, 48 annos regnavit.

* p. 320.

Historia XXII, de filio Chosrois regis Persarum qui post
20 eum regnavit, cui nomen Hurmizd. — Mortuo igitur Chosroe rege filiorum eius unus cui nomen Hurmizd post eum regnavit, qui ut successus (?)[2] dicuntur, et ipsa gesta eius docent, puer est arrogans et immanis et rationis exiguus. Quamobrem rex factus, utpote superbus et mentis inops, adeo elatus est
25 et superbivit ut ne symbolum[3] quidem regium regi Romanorum secundum morem regum mitteret; quod symbolum[3] regium Caesar Tiberius, quamquam regna rixa et bello utebantur, secundum legem[4] non intermisit, sed simul ac *ut* Caesar consedit, dona symboli[3] regii *regi* Chosroi misit, quemadmo-
30 dum Chosroes etiam quando rex factus est Iustiniano regi, qui tribus circiter annis ante * eum rex factus erat. Hic, quae erat mentis inopia eius, cum superbe diceret, « Cur munera mihi servis meis mittenda sunt? », ita etiam non misit; nec hoc solum, sed legati quoque Romanorum qui ad patrem eius cum

* p. 321.

[1] πολιτεία. — [2] Textus fortasse corruptus est. Mich. (II, p. 338) « Cuius successus inter Persas valde celebrantur et gesta declarant cum puerum esse etc. ». — [3] σύμβολον. — [4] νόμος.

donis et litteris regiis mittebantur, cum Antiochiam pervenissent, Chosroem mortuum esse et filium eius regem factum didicerunt; quod cum reges tranquilli nostri[1] Romanorum didicissent, legatos nuntium ad eum qui rex factus erat mittere et ad eum transire iusserunt. Qui cum eos transire superbe iussisset, 5 eos cum contumelia recepit, et diu adflictionem eis intulit, cum includerentur et adfligerentur et in eo essent ut interirent et vitae eorum exstinguerentur. Itaque magis suis auctoribus eos solvit, sed ne via recta quidem eos ire sivit, et nonnullos cum eis misit, quos eos in montes arduos et duros sur- 10 sum ducere iussit, ut in eis exstinguerentur et morerentur, ita ut ducibus dicerent, « Si nos occidere quaeritis, quare non statim nos aperte occidistis, nec nos hoc labore in his montibus morituros adduxistis? », Deo autem eos adiuvante servati sunt. Et haec de nequitia illius et mentis inopia regi et omni- 15 bus narrabantur.

Historia XXIII, de ea quaestione quibus de causis conflictatio a principio facta sit et pax quae inter regna *erat* rupta. — Causa vero prima ruptae pacis deditio fuit Armeniorum Persarum quae ad Romanos facta est. Secundo autem praeter- 20 ea causa inimicitiae durae id fuit quod rex Romanorum ad

* p. 322. populos barbaros ultra regiones Persarum quos * Turcios[2] vocant legatos misit, cum ceteris aliis causis multis ⌈ob quas[3] Persae ad indignationem et inimicitiam pervenerunt. Iustinus enim rex anno 7° regni sui ad eosdem qui vocantur Turcii[2] 25 legatos miserat, principum quendam cui nomen Zemarchus, cum ad populos hos magnos et potentes legatio Romanorum numquam omnino missa esset. Quamobrem, cum post annum unum totum legatus ad regiones ut narrabat pervenisset, et rex quidam horum ipsorum populorum (ultra quem octo alii 30 magni reges esse dicuntur) legationem Romanorum ad eos missam esse didicisset, stupuit statim et commotus est, et ad maerorem gravem et fletum acerbum se subito convertit; et *id* magis cum legatos recepisset eosque diu ante se stantes vidisset, hominibus cum eo loqui non audentibus.[4] « Quamobrem, 35

[1] Tiberius et Anastasia (?). — [2] Sic. Cf. p. 233. — [3] Ms. om. — [4] Auctor ad legati verba se hic vertit.

cum eum ita fletu adflictari alii narrarent[1], nec ⸢quisquam e primoribus eius cum eo loqui auderet[2], proni ante eum procubuimus, et interpretibus mandavimus ut ei dicerent: 'Te rogamus, rex, quia nos vidisti, qui a fratre tuo rege Romano-
5 rum ad te missi sumus, ita fles?' Qui cum audivisset rursus fletu magis diu adflictatus est, nec usque ad duas horas verbum omnino nobiscum locutus est. Et deinde ipse singultibus paulum remissis ad nos dixit: 'Ut maeroris et fletus mei praesentis causam sciatis, iam dico vobis, nos a generationibus et
10 a generibus[3] hanc traditionem accepisse, « Quando legatos de terra Romanorum in his regionibus videbitis, scitote et vobis certum est fore ut mundus totus transeat et dissolvatur, et regna omnia desinant, et * statim his ipsis temporibus omnes homines se invicem caede perdant ». Et ego nunc, cum vos vi- *p. 323.
15 dissem et haec in memoriam revocassem, propter hoc maerui et flevi'. Et, cum multa ante eum locuti essemus, munera[4] multa[5] auri et argenti et margaritas et vestes splendidas regias exhibuimus, et ei obtulimus. Qui cum vidisset miratus est; et, cum accepisset, statim quae maxima et splendidissima
20 ibi *erant* seposuit, et dixit: 'Haec regis magni sunt' ». Accidit autem ut legati Persarum ibi essent; et Romanorum legatos rogavit[6], « Verumne est quod Persae mihi dixerunt, 'Rex Romanorum servus noster est, et tributum nobis ut servus pendit'? ». Quamobrem Zemarchus his *rebus* auditis ei res-
25 pondit, dicens: « Ita mentiuntur; quod reges Romanorum multi descenderunt et regione eorum diruta captivos ex ea abstulerunt; sicut Traianus rex Romanorum, cum descendisset, eos ita subiugavit et subiecit ut usque adhuc imaginem quam sibi in regione eorum statuit vereantur et tremant, ita ut usque
30 adhuc nemo eorum equo vectus ante eam transire audeat. Et vocentur, eosque coram refutabimus, nec negare poterint ». Deinde (ut dixit) iussit et venerunt, et dixit eis: « Nonne mihi dixistis 'Rex Romanorum servus noster est'?, quod en, ut hi dicunt, imagini tantum regis Romanorum, quam sibi in
35 regione vestra statuerit, usque adhuc vos subicitis eamque ve-

[1] Sic. Versiones Sm. et Schönf. de textu extrahere nequeo. — [2] Aut 'quemquam...... audere'. — [3] γένος. — [4] δωρέα (sing.). — [5] Ms. sing. — [6] Ms. 'rogaverunt'.

remini; et quomodi hi servi vestri estis?, quod en imaginem regis Romanorum veremini vosque ei subicitis. Hocne verum est?». Dicunt ei: « Ita, domine, statuam[1] eius in regione nostra esse verum est». Is autem dixit eis: « Et quare mentiti me
* p. 324. decepistis?». * Et iuravit « Nisi ne vobis similis fierem vos 5 statim detruncassem». Itaque stomacho eos dimisit. Et, cum ad regem suum reversi essent, tum eum se legatos Romanorum ibi invenisse certiorem fecerunt, et ab eis de imagine Traiani confutatos esse[2], « et, cum negare non potuimus, nobis iratus nos stomacho dimisit». Perses autem his auditis com- 10 motus et exacerbatus est. Et iussit et Traiani imago ob causam huiusmodi eversa est, et inimicitia magis tumuit. Romanos enim hos populos contra eos excitare putavit, et ipse munera ⌈eis maiora quam Romanorum[3] dedit. Et haec ita gesta sunt, ut legati narrabant, quorum pauca exscripsimus. 15

Legati vero Romanorum post annos duo reversi de multitudine horum populorum, et de mirabilitate harum regionum, et de institutis eorum et morum eorum probitate magna ac mirabilia narrabant.

Historia XXIV, de populo foedo qui vocantur Avares. — 20 Hic igitur populus crinitus[4] qui vocantur Avares diebus Iustiniani regis advenit, et in terra Romanorum visus est. Quorum legatos cum recepisset, eos auro et argento, et vestibus, et zonis[5], et ephippiis aureis ditavit, et ceteris *rebus* quas eis dedit et per eos principibus eorum misit, *ita* ut mirarentur et 25 alios rursus mitterent; necnon et eis etiam dabat, eosque ditabat. Quamobrem saepe sub praetextis mittebant, nec *id* solum sed et catervas[6] faciebant et veniebant, et omnibus dabat eos-
* p. 325. que onerabat, et abibant, cum se per eos * omnes hostes suos subiugaturum putaret, adeo ut ab omni senatu[7] et a tota urbe 30 murmuratio contra eum invalesceret, « En regnum exinanit et barbaris dat». Quamobrem, cum mundo exiisset, et Iustinus

[1] ἀνδριάντα. — [2] Hic iterum legatorum verba in 1ª persona dat auctor. — [3] Ms. 'maiora Romanis (dativo)', quod vix stare potest, etiamsi pro 'munera' 'honores' scribamus. Versiones Sm. et Schönf. de textu extrahere nequeo. — [4] Litt. 'crinium suorum'. — [5] ζωνάριον. — [6] κοινία. — [7] σύγκλητος.

sororis eius filius rex factus esset, accidit ut caterva [1] quaedam ex eis advenirent ut secundum morem onerati abirent, *ita* ut post paucos dies ad Iustinum ingressi ei dicerent: « Da nobis ut qui mortuus est nobis dabat, et nos dimitte ad regem nos-
5 trum abituros ». Rex autem Iustinus, quippe qui unus esset eorum qui ob id contristabantur et murmurabant quantum e regno acciperent et auferrent, dixit eis: « Non amplius de regno onerati sine utilitate abibitis; et a me nihil accipietis et abibitis ». Et, cum ei eis [2] minitari incepissent, stomachatus
10 est, dicens: « Vos canes mortui regno Romanorum minitamini? Scitote me crines omnium vestrum tonsurum, itaque vos detruncaturum ». Et iussit, et comprehensi sunt et in carabos [3] impositi, eosque urbe expulit, et *mari* traiecto eos Chalcedone incluserunt, qui viri erant circiter trecenti. Et exercitus cum
15 scribonibus et scholariis ibi constituti sunt qui eos custodiebant tempus sex mensium; et ita demum eos solvit ac dimisit; eisque minatus est, dicens, « Si quos vestrum hic videbo, vel in tota republica [4] mea, vita vobis amplius non erit ». Itaque eum veriti siluerunt nec amplius ei visi sunt. Tandem vero legatos
20 amicitiae et subiectionis ad eum miserunt, et se quidquid eos iussurus esset facturos [5]. Itaque omnes dies eius ut amici permanserunt. Et, quoniam populus * fortis erant, et populis mul- * p. 326.
tis septentrionalibus divitiores ac fortiores facti sunt quos subiugaverunt et trucidaverunt, tandem apud transitum flu-
25 vii magni qui vocatur Dunabius [6] populo alii potenti Gepidarum inciderunt, quibus trucidatis terram eorum occupaverunt, et in ea in terra bona consederunt et diffusi sunt. Denique, cum ut amici ad regem Iustinum legatos dolo misissent, eum rogaverunt (rex videlicet eorum) ut ei mechanicos [7] et archi-
30 tectos mitteret ei domum [8] palatium [9] et balneum [10] aedificaturos, quos etiam igitur misit. Qui cum ivissent eique palatium [9] et balneum [10] aedificassent et perfecissent, et ut dimissi reverterentur petivissent, tum demum fraude sua patefacta

[1] κοινίον. — [2] Sic ms.; melius esset 'ei'. Vel punctatione mutata verti potest 'cum ei minitari incepissent, contra eos stomachatus'. — [3] καράβια. — [4] πολιτεία. — [5] Sic elliptice. — [6] Sic semper. — [7] μηχανικός. — [8] Hanc vocem glossema essa suspicor. MICH., p. 371 (II, p. 346) om. — [9] παλάτιον. — [10] βαλανεῖον.

et dolo cordis sui ostenso, eos comprehendit et gladio suo contra eos stricto dixit, « Nisi arte vestra Dunabium ponte iungetis ut ubi volemus transeamus, nemo vestrum vivet, et vos statim detruncabo ». Quamobrem ab eo coacti ei dixerunt: « Quis fluvium qui ut mare est ponte iungere potest vel umquam potuit ? »; et rursus « Si hoc facere possemus, contra rempublicam[1] Romanorum esset, et rex nos occideret, quod, si moriemur sive vivemus, hoc[2] facere non possumus ». Et statim duo eorum detruncavit. Quamobrem ceteri mortis metu territi promiserunt « Si nobis tigna multa magna et valida afferetis, nos faciemus, nec moriamur ». Dein populus multus egressi tigna multa magna et valida exciderunt; itaque gladii morte coacti opera data pontem validissimum construxerunt. Et, cum rex Iustinus annos tredecim regnasset, mundo exiit; et, cum victor Tiberius * annos quattuor cum eo Caesar consedisset, ipse post eum imperator[3] visus est. Qui ob hoc facinus cum tota republica[1] molestiam haud parvam cepit, quod anno 3° regni eius post Iustini mortem factum est; et omnibus modis pontem intercidere studuit, quod ad praesens non potuit, sed eo occupato considunt, dum eum rogant ut aut Sirmium urbem in ripa fluvii citeriore eis ad habitandum darent, aut ut[4] cum eo dimicarent et rempublicam[1] eius vastarent. Is autem eam eis dare omnino recusavit, et hi iam collecti insidiantur ut, si tempus invenient, ad bellum excitentur. Et pontem etiam alium, ut dicitur, quod nunquam factum est, fecerunt. Haec etiam fecerunt, malo parati.

*p. 327.

Historia XXV, de populo Sclavinorum, et de vastatione quam in Thracia anno 3° regni regis Tiberii sereni fecerunt. — Anno 3° mortis Iustini regis et regni victoris Tiberii populus maledictus Sclavinorum egressi Hellada totam et regiones Thessalonicae[5] et totius Thraciae percurrerunt, et urbes et castra[6] multa expugnaverunt, et terram vastaverunt et incenderunt et captivos ex ea abduxerunt et in ea dominati sunt, et in ea ut in sua dominorum modo iam tempus quattuor anno-

[1] πολιτεία. — [2] Sic superflue. — [3] αὐτοκράτωρ. — [4] Sic. — [5] Ms. et Mich. (p. 372) plur. Legendum fortasse 'Thessalonicensium'. — [6] κάστρους (sic).

rum impavide considunt. Et adhuc pro eo quod rex bello Persarum occupatus est, et copias suas omnes ad Orientem misit, hac de causa hi in terra grassati sunt et in ea consederunt; et in ea ad praesens diffusi sunt, donec Deus eos deiciet. Vastant vero et incendunt, et captivos abducunt, *ita* ut usque ad murum exteriorem et regis armenta[1] omnia * milia multa et cetera alia abducant. Et iam et usque adhuc etiam, quod est annus 895, se collocant ac considunt, et in regionibus Romanorum securi et impavidi otiantur, dum captivos abducunt et occidunt, et incendunt. Et divites facti sunt et aurum et argentum lucrati sunt, et armenta equorum, et arma multa, et pugnare melius quam Romani didicerunt, homines simplices qui extra silvas et *loca* densa virgultorum se ostendere non audebant, et arma quid sint praeter duo vel tria λογχάδια, quod est hastae, nesciebant.

* p. 328.

HISTORIA XXVI, de proelio Romanorum et Persarum quod iuxta Tellā urbem die mensis ḥězirān[2] anni 892 ita factum est. — Post vastationem igitur magnam quae in utraque republica[3] Romanorum et Persarum ab utraque parte facta est de pace amborum regnorum loqui quaesiverunt, ita ut per episcopos Nisibis et Riš'ainā et ceteros, et[4] per Zachariam sophistam de Sura Romanorum colloquia haberentur. Tandem m a r z b ā n ā quidam caecus Persarum arroganter se gessit, et, exercitu suo confisus et fortudine sua elatus et gloriatus, regi suo dixit: « Noli Romanis obtemperare et pacem cum eis facere quod invasione statim facta omnes trucidabo, et, regionibus eorum omnibus subiugatis, Antiochiae hiemem agam ». Qui, iactatione eius confisus, cum ipse etiam elatus esset, de pace loqui neglexit. Itaque m a r z b ā n ā, cui nomen fuit Ṭam Kāsrun[5], copiis ad se collectis, iter contra Tellā dě Mauzlat direxit, in qua erant ⌈magistri militum[6] magni, et duces copiarum qui in ea *erant*, * et, cum advenissent, urbem circumsederunt. Dein ⌈magistri militum[6] ei obviam exierunt, et praesertim vir animosus ac fortis cui nomen fuit Constantinus. Qui, cum virum

* p. 329.

[1] Sc. equorum; cf. l. 11. — [2] Iunii. — [3] πολιτεία. — [4] Ms. om. — [5] Cap. IX. — [6] στρατηλάτοι (sic).

ex eis exploratorem ante diem cepisset et de m a r z b ā n ā Ṭam Kāsrun interrogasset qualis habitus[1] eius esset, et in qua parte exercitus versaretur et adesset, ipse cum didicisset et ad proelium in loco quodam egressus m a r z b ā n ā in medio exercitu vidisset, impetu prorupit et ingressus intra exercitum Persarum penetravit; et, cursu contra Ṭam Kāsrun directo, eum conto[2] percussit, et eversum equo deiecit, eumque iterum conto[2] percussit et transfodit. Et Persae alii ipsum etiam Constantinum circumdati ibi occiderunt, virum christianum fidelem et bellicosum.

Quamobrem, cum Persae eum occisum esse vidissent quo magis quam rege confidebant, qui se ipso impetu urbem statim capturum et in ea commoraturum gloriabatur, necnon omnes copias Romanorum eis ex omni parte circumdatas esse, terga verterunt et Romani et Ṭayāye eos adgressi multos eorum trucidaverunt et deiecerunt, ut fertur, milia multa, quod quoniam veritatem exactam compertam non habemus ne de mendacio adfirmationem faciamus ut dicebatur non praedicavimus. Multos tamen eorum cecidisse cognitum est; necnon tres alios duces ex eis etiam occisos esse dictum est. Et, iactatione eorum tota confusa, fugerunt et abierunt *et* iuxta fluvium qui vocatur dĕ Beith w š y castra posuerunt, qua tempus trium mensium consederunt, proelium exspectantes eique parati. Qui, cum * contra Romanos stare non potuissent, pudefacti ad regionem suam redierunt, cum quae sibi proposuerant secundum mentem eorum non patrata essent. Et haec ita gesta sunt.

Historia XXVII, de Mauricio qui omnibus ducibus copiarum qui in Oriente *erant* praefectus est[3]. — Huius igitur Mauricii quamquam supra mentionem fecit narratio, quem[4], cum Iustinianus[5] patricius filius Germani qui omnibus ducibus et copiis in Oriente praefectus erat mundo exiisset, et duces copiarum se sibi invicem non accommodarent, deinde Tiberius rex misericors, quoniam notarius cum eo fuerat, hac de causa rex factus provexit, et locum comitis excubitorum ei dedit,

[1] σχῆμα. — [2] κοντάριον. — [3] Cf. cap. xiv, xv. — [4] Clausula aliter continuatur, et mira incuria composita est. — [5] Ms. 'Constantinus'; cf. p. 216.

deinde super omnes ⸢magistros militum[1] et ductores copiarum
Romanorum qui in toto Oriente erant eum emisit, et omnes
belli dispositiones ei delegavit, ut conscriberet et exauctoraret,
et ut quodcunque vellet faceret. Quamobrem, cum hoc manda-
5 tum accepisset et cum exercitu magno et excubitoribus et
scribonibus exiisset, tum in Cappadociae regionem advenit,
unde ipse etiam ex Arabisso urbe erat. Quamobrem primo ex
ipsa regione adulescentes multos selegit eosque *ut* romanos[2]
conscripsit; ita etiam e regione Anzetene Armeniae, et e Syria
10 cum illuc pervenisset. Et primum itinere facto iuxta Qithariz
urbem castra posuit, et tota regio Persarum fama eius prima
commota est. M a r z b ā n ā autem qui in Armenia Persarum *fi-
nibus* praesidebat, fama eius commotus, cum ante eum praetextis
fugere quaesivisset, ducibus qui * Theodosiopoli considebant *p. 331.
15 nuntium dolo misit, « Quamdiu sedemus et alteri alteros ob-
servamus? Intra tringinta dies pugnae paremur, et pugnemus;
et sciamus quis victurus et quis cladem accepturus sit »[3]. Cum
haec dicta essent, duces comiti Mauricio nuntium miserunt;
qui mandavit, « Nuntium ei mittite, ‘ Nos iam parati sumus ’ ».
20 Cui responso[4] cum Romani confisi essent, m a r z b ā n ā et exer-
citus eius ea nocte fugit[5] et inde exiit[5], dum ipsam regionem
suam peragrant; et venerunt et ex adverso Maipherqaṭ[6] terram
Romanorum invaserunt, et in tota Sophanene et agro Amiden-
sium vastare et incendere et captivos abducere et occidere ince-
25 perunt. Et, cum usque ad Amidam venissent, circumdati contra
eam triginta dies consederunt. Et, cum se urbem expugnare
non posse vidissent, ut aurum urbis pretium eis daretur pe-
tierunt neu vicinias eius incenderent, quibus non crediderunt,
eos, sive accepturi essent sive non accepturi, incensuros esse
30 existimantes. Itaque hi irati ecclesias omnes et monasteria
omnia magna ac parva et cetera quae extra eam *erant* incen-
derunt; et quantum valuerunt percurrerunt, itaque diebus⸣
quindecim praedati sunt et captivos abduxerunt et in regionem
suam transierunt, cursu rapido et Romanorum metu magno.
35 Dein comes Mauricius, cum tandem certior factus esset et

[1] στρατηλάτοι (sic). — [2] Sc. milites. — [3] Cf. cap. XIV. — [4] ἀπόκρισις.
— [5] Sic. — [6] Martyropolis.

exarcerbatus, exercitu suo educto in Syriam profectus est, dum eos persequitur, nec eos consecutus est. Dein copiae Romanorum stomacho et ira regiones Arzun adgressi omnes regiones vastaverunt et incenderunt et diruerunt et captivos ex eis abduxerunt, et in terram Romanorum transportaverunt, ut in historia quae his antecedit indicavimus[1]. Et captivi omnes qui inde transportati sunt regis mandatu ad Cyprum insulam missi sunt, et in urbes et pagos divisi; et nunc usque ibi sunt.

* p. 332. * HISTORIA XXVIII, de proelio quod in Armenia factum est, et ceteris *rebus* quae ibi gestae et perpetratae sunt. — Cum igitur pars magna exercitus Romanorum cum ⌈magistris militum[2] duobus Iohanne et Quris[3] ex adverso Armeniae Persarum esset, necnon et Persarum etiam exercitus contra eos collocatus esset, deinde ut supra etiam indicavimus[4], exercitus Romanorum separatus est, et circiter quinquaginta milia eorum secesserunt, irati et murmurantes et dicentes, « Nisi stipendia[5] nostra solida[6] recipiemus, et legiones[7] singulorum nobis indicabuntur, ut locis nostris confidamus, nemo nostrum ad pugnam exibit, nec cum quoquam dimicabimus ». Quamobrem, cum haec regi Tiberio cognita essent, statim sine mora curatorem domus[8] regiae Hormisdae cui nomen Domitziolus[9] illuc misit, auro multo ei dato quod in eos divideret, et ut eos conciliaret et sedaret; itaque se ad pugnam paraverunt. Eo igitur tempore m a r z b ā n e Persarum ducibus Romanorum nuntium miserunt, « Quare igitur ut mulieres alteri contra alteros sedemus et alteri alteros observamus? In planitiem exeamus, et alteri cum alteris pugnemus ». Quod cum Quris ductor exercitus Romanorum audivisset, ut vir sapiens...... [10] Narsis magni cuius fuit, et quocum bellis magnis in regionibus Romanorum exercitatus erat, hic nuntium eis misit, « Nos nunc pugnare non possumus, quoniam ne totus quidem exercitus noster hic nunc est. Si vero vos contra nos venietis, quemadmodum Deus

[1] Cap. XV. — [2] στρατηλάτης. — [3] TH. SIM., I, IX, 7, EVAGR., V, XIV Κούρς. — [4] Hoc nullibi invenitur. — [5] συνηθείας. — [6] 'In πλήρει'. — [7] ἀριθμοί. — [8] Ita correxi; ms. 'oeconomum'. — [9] Ms. 'Dómitzolus'; rectius 'Domentziolus' (TH. SIM., III, VIII, 5). — [10] Aliquid excidisse videtur. Supplendum videtur 'et similis'.

noster nobis vires iniciet, cum vobis concurremus ». Quod cum populus magorum recepissent, fiducia magna signa intulerunt, cum * Romanos iam non caverent nec timerent. Et illo ipso *p. 333. die Quris, cum suum ipsius exercitum tantum viginti circiter 5 milia *virorum* silentio praeparasset, noctu diluculo egressus est, cum hi securi excubarent et tranquille dormirent, et[1] sicut ignis qui in silva relinquitur, et ' sicut flamma comburens montes'[2] eis incidit, eosque obstupefactos conturbavit, et paucis exceptis qui ab eis effugerunt trucidavit; et multos 10 cepit et vinxit. Cepit vero et m a r z b ā n ā etiam unum et filium eius. Itaque castra eorum tota praedatus est ; et magno triumpho reversus est, armis eorum et equis ablatis.

Historia XXIX, de impostore[3] quodam persa qui se regis filium fecit. — Post mortem igitur Chosrois regis Persarum 15 filius eius Hurmizd qui post eum regnavit, sicut eis qui ibi regnant mos nefarius est *ut* omnes fratres suos occideret[4], ita ipse etiam fratrem suorum partem occidit, partem caecavit. Unum vero quem ut ferunt pater eius regem facere voluit, quem totus senatus[5] eorum reiecit et accipere noluit, hunc[4], 20 ut fama fert, Chosroes facultatibus instructum vivus dimisit, ei dicens, « I, mi fili. fuge dum ego vivo, ne moriaris ». De quo cum fugisset multa dicebantur, et in multis locis eum esse populares eius putabant et audiebant. Quamobrem impostor[6] quidam astutus ex ipsis Persis, puer adulescens, abiit et ratio-25 nes commentus est et argumenta protulit, ut ipse Chosrois filius qui fugit esse crederetur, itaque ad duces copiarum Romanorum qui in Armenia Persarum *erant* venit eisque dixit sibi in animo esse se regno Romanorum dedere, « quod, si rex * Romanorum me accipiet et exercitum mihi dabit, ipse omnes *p. 334. 30 exercitus et regiones Persarum subiugabo, et ipse fratrem meum Hurmizd qui regnum meum arripuit vinctum abducam et regi Romanorum tradam ». Quamobrem, cum duces copiarum Romanorum eum multum interrogassent, et homines etiam multos produxisset qui de eo testabantur eum ipsum regis

[1] Ms. om. — [2] *Ps.* LXXXIII, 15. — [3] ἐπιθέτης. — [4] Sic. — [5] σύγκλητος. — [6] ἐπιθέτης.

filium esse qui ante fratrem suum fugisset, tum ita ei crediderunt et regi Tiberio de co-scripserunt, et de omnibus interrogationibus eius quas fecerant, et se homines invenisse qui eum cognoscerent, et de eo testati essent eum ipsum regis filium esse, et de eo quod omnibus rebus egeret. Quod cum rex recepisset, et ob omnia quae ei a ducibus copiarum scripta sunt credidisset, legatos cum auro et argento multo et vestibus splendidis ac multis statim misit, et equos et mulos multos in eius honorem et qui eum veherent; et mandavit ut ab omnibus iudicibus regionum per omnes regiones et urbes pompa ductus ad urbem regiam perveniret. Quod etiam factum est, et pompa magna et honoribus magnis regiones ut rex transibat, *ita* ut in occursum[1] eius etiam munera magna ultro miserit. Qui cum Chalcedonem urbi regiae obiectam pervenisset, morari iussus est, cum eum studiose interrogare regi propositum esset. Erat enim spatharius regis Persarum qui advenerat et se ei dediderat, et is cum legatis quos deduxerat (?)[2] hunc[3] cognoverat; et rex mandavit ut ad eum transirent et videret[4] an ei quoque eum cognovissent et eum interrogarent ne forte mendax esset, ne (ut dixit) irrideretur. Qui, cum transiissent et eum vidissent, eum non cognoverunt. Spatharius autem ille perses cum multum eum interrogasset, nec ei * veritatem confirmare potuisset[5], ipse[5] in sede alta ut rex sedebat. Dein spatharius ille manu crinibus eius iniecta suspensus eum deorsum deiecit, dicens: « Tu impostor[6] morte damnatus in throno alto sedes, et primores regni ante te stant? », itemque in collo etiam eum percussit, itaque mendacium eius patefecit, nec defensionem facere et veritatem de se ostendere potuit. Itaque rex iussit, et in locum *quendam* impositus est, cum eum secundum mendacium eius non tractasset, sed et sumptus[7] quoque tum ei tum sociis eius mandavit, quamquam ipse rex eum non vidit. Ferebatur autem plus quam tria centenaria in eum expensa esse. Tandem vero christianus etiam factus est.

* p. 335.

[1] ἀπαντή. — [2] Hoc non intellego. Tota clausula difficilis est et fortasse corrupta. — [3] Sc. regis filium. — [4] Sc. rex. — [5] Sc. impostor. — [6] ἐπιθέτης. — [7] δαπανή.

Historia XXX, de Sirmio urbe magna regni Gepidarum, quam Romanis volentibus vel nolentibus Avares ceperunt. — Cum igitur populus barbarus Avarum collecti essent et hos duo pontes quos fecerunt[1] tenerent, et regionibus Romanorum
5 bellum et vastationem minantes considerent, regi Tiberio nuntium mittebant, « Si nos amicos adquirere vis, da nobis Sirmium. ⌜ut in eo tua voluntate considamus. Sin autem, sine voluntate tua id capiemus, et inimici tui sumus[2] ». Rex autem eos verbis et promissis variis differebat, cum id eis dare omni-
10 no nollet; sed legationem ad populum Langobardorum clam mittebat, ut eos conduceret et contra eos a tergo adduceret, et ad alios populos. Et, cum hi eum urgerent, quominus mentem suam eis indicaret consilium iniit, et Narsem magnum spatharium regium ad eos misit cum eis collocuturum et rem protrac-
15 turum, cum aurum multum et de suo ipsius et de regio cepisset, et * in itinere haud celeriter ire clam iussus esset, et, si hi populi venturi essent, eis receptis eos[3] adoriri, et, si fieri posset, eos delere, dum his nuntium mittit, « Gloriosum Narsem spatharium nostrum misimus, qui cum advenerit conferat et
20 pacem vobiscum faciat ».

* p. 336.

Historia XXXI, de exitu[4] Narsis spatharii. — Gloriosus igitur Narses spatharius urbe regia pompa magna cum exercitu magno et auro amplissimo et vestibus variis exiit. Et, cum naves multas rebus omnimodis complevisset, et per mare Ponti
25 formidulosum cursum incepisset, navis una, ⌜in qua[5] auri magna pars et cetera multa erant (itemque eius magistrorum (?)[6] unus in ea erat et ceteri fideles[7] eius qui in ea oneris eius custodiendi causa vehebantur), ipso die primo cursus eorum mersa est. Quamobrem, cum hoc didicisset, postquam
30 prope Dunabium flumen navi egressus est, ob adflictionem suam in morbum gravem incidit. Quem post animi demissionem amaram post tempus aliquantum ipse finis oppressit et amare mortuus est; et omnia *consilia* eius irrita facta sunt,

[1] Cap. xxiv. — [2] Mich. (II, p. 347) « et homines eius cum opibus eorum vobis sume, aut id bello capiemus et homines trucidabimus ». — [3] Sc. Avares. — [4] Vox ambigua. Ex initio non mors sed profectio significari videtur. — [5] Ms. om. — [6] μαίστωρ. — [7] Aut ‘eunuchi’.

cum nihil omnino effecisset. Et alia postea multa circa quaestionem de rebus eius gesta sunt.

Historia XXXII, quomodo tandem, cum quae exspectabantur non effecta essent, Sirmium urbs his barbaris data sit. — Cum quae per Narsem *tentata sunt* non effecta essent, itemque hi populi non supervenissent, rex alium quendam cui nomen Callisterus (?) praefectum[1] praetorii ad ipsos Avares mittere coactus est, qui itinere facto * urbem illam eis tradidit; quoniam hoc magis prodesse statuit quam ut bello et vi caperetur post duo annos quibus pressuram[2] et famem acerbam sustinuerat, adeo ut post iumenta omnia et animalia omnia et cetera feles etiam angustia acerba comederint, quae ea haud minor erat quam Samariae quondam fuisse scriptura docet[3].

* p. 337.

Misericordiam etiam quam hi barbari erga fame cruciatos qui ibi *erant* ostenderunt *sermonibus* ferebant, quae admiratione et condemnatione[4] Christianorum digna est, qui conservis suis haud clementes sunt[5] nec carnis suae sociorum misereantur.

Quamobrem, ut ferunt, cum hi ingressi angorem mortalem populi qui in ea *erat* vidissent, eorum miseriti panem eis ad edendum et vinum ad bibendum dabant, *ita* ut ob exaninitionem famis tanti spatii duorum annorum raptim ederent, et protinus repentino morerentur. Itaque qui supervixerunt demigraverunt[6] et urbe exierunt, et barbari eam occupaverunt, et in ea consederunt.

Historia XXXIII, de incendio Sirmii quod postea factum est. — Ut vero fama fuit, postquam barbari urbe Christianorum occupata in ea spatium unius anni consederunt, ob causam nescio quam (Deus scit) ignis Sirmio urbi incidit, et repentino tota eversa et incensa est. Et barbari, quoniam quomodo eum intercluderent et exstinguerent haud sciebant, omnes nudi effugerunt et ea exierunt; et tota incensa et eruta est. Et circa eius rationem multa erant quae memoriae idonea essent, quorum partem magnam propter prolixitatem historiarum multarum praetermisimus.

[1] ὕπαρχος. — [2] ἀνάγκη. — [3] *IV Reg.*, VI, 25-VII, 20. — [4] Sic. — [5] Matth., XVIII, 33. — [6] Mich. (II, p. 347) 'quidquid habuerunt ceperunt'.

* Historia XXXIV, de memoria belli multi, et postremo * p. 338.
de bello comitis Mauricii et captivitate Arzun. — Quando igitur res aliquot quae bellis anterioribus acciderunt, prout diligenter scrutati discere potuimus, ordine breviter conscripsi-
5 mus[1] de bello gloriosi patricii Marciani contra Nisibin facto et de eis quae ibi acciderunt. et postea de invasione terrae Romanorum *quam* Chosroes cum copiis suis *fecit*, et de expugnatione Darae, necnon et Apameae etiam urbis et ceterarum *urbium*. et post haec de descensu illustris Mauricii in Orien-
10 tem *quem* pompa magna *fecit*, et de metu eius qui populo magnorum incidit, et de eo quod, cum se eum decepturos sperassent, terram Romanorum a tractu qui Maipherqaṭ[2] contiguus *est* furtim invaserunt[3], et in regione Sophanenes incenderunt[3], quam celeritate magna quindecim diebus transierunt[3], et con-
15 tra Amidam venerunt, et, cum se urbem expugnare non posse vidissent, furore[4] *acti* igni accenso omnes vicinias eius barbare incenderunt, ecclesias et monasteria et cetera, et captivis abductis ad regionem suam celeriter reversi sunt, et quomodo praeterea, cum comes Mauricius haec didicisset, ira aspera inci-
20 tatus eos persecutus sit, nec eos consecutus sit, et cursu rapido ad regionem Arzun viam direxerit, et incenderit et diruerit et captivos abduxerit et totum populum Arzenāye expulerit, quos non occidit, eosque in regionem Romanorum transportaverit, qui omnes ad Cyprum insulam missi sunt, cum castella
25 ibi expugnasset, et unum cui nomen Pum[5] occupasset, et exercitum Romanorum in eo collocasset, cum aliud quoque Persarum contra id esset, quod pretio accepto reliquit, cui nomen Klimar[6]. Et contra se invicem considunt, * et pacem mutuam * p. 339.
fecerunt, et sine metu mutuo dant et accipiunt.

30 Historia XXXV, de castello alio quod Mauricius ante Sophanenen aedificavit cui nomen Šamkart[7]. — Comes[8] igitur Mauricius opera data iuxta montem altum et arduum cui no-

[1] Clausula sine verbo principali relicta est. — [2] Martyropoli. — [3] Ms. sing. — [4] μανία. — [5] Th. Sim., III, xv, 14, τὸ Ἀφούμων. — [6] Id., II, vii, 6, τὸ Χλομαρῶν. — [7] Geo. Cypr., 944, Σαμοχάρτα. — [8] Hinc usque ad fin. codicis textus a Marquart (*Osteur. u. ostas. Streifzüge*, p. 480 seqq.) germanice versus est.

men Šamkart castellum aedificavit, quod ipsum etiam castellum ita nominatum est Šamkart. Et romanos[1] in eo constituit, quibus annonas[2] attribuit, eique in omnibus rebus operam dedit. Hoc vero Šamkart in terra Romanorum est. Et aedificationem eius mechanico[3] reliquit, qui se ei de terra Persarum 5 dediderat.

Historia XXXVI, de castello alio cui nomen Āqbā[4], quod in terra Persarum ad Kallath est. — In ripa vero ulteriore Kallath fluvii in tractu limitis contra Maipherqaṭ mons praeruptus *est*, super quo quasi a temporibus longinquis populo 10 delendo magorum castellum aedificare in animo erat, et, quandoquidem inter Romanos et Persas pactio est ne intra tot milia passuum a limite vel his vel illis aedificare liceat, Romani[5] contra eos stabant nec eos aedificare sinebant; etenim saepe aedificatum erat et disiectum. Aliquando autem, ut supra indi- 15 cavimus[6], Persae, opportunitatem nacti, castellum aedificaverunt, et in eo consederunt.

Et post annos aliquot copiae Romanorum, ⌈magister militum⌉[7] videlicet cui nomen Aulus (?), adgressae id circumsede- * p. 340. runt; qui diu id cingebat et * contra id considebat, donec qui 20 in eo considebant ad famem et sitim redacti sunt, *ita* ut in eo essent ut vita quae hic *est relicta* interirent. Dein, cum angustias vidissent, ut fides eis daretur rogaverunt se non morituros nec fore ut comprehenderentur et captivi facti in terram Romanorum transportarentur, seque eis castellum tradituros et 25 eo exituros. Quod cum duces revera perfecissent eisque fidem dedissent, tum *porta* aperta omnes ex eo descenderunt. Qui cum egressi aquam invenissent et bibissent, concidebant, et statim moriebantur, *ita* ut pauci tantum eorum egressi abierint.

⌈Magister militum⌉[7] autem et exercitus eius ascendit[8] et to- 30 tum castellum deiecerunt, nec lapidem super lapidem reliquerunt quem non destruxerunt[9], *eos*que de monte deiecerunt, ducibus etiam aliis et exercitu magno illuc collectis, itaque hic et illic separatim considebant, et se invicem observabant.

[1] Sc. milites. — [2] ἀννώνας. — [3] μηχανικός. — [4] Th. Sim., I, xii, 1, τὸ Ἄκβας. — [5] Ms. ins. ‘enim. — [6] De hac re nihil supra dictum est. Aliquid fortasse excidit. — [7] στρατηλάτης. — [8] Sic. — [9] Matth., xxiv, 2.

Historia XXXVII, de legato Persarum qui eo tempore ad regem nostrum Romanorum forte mittebatur. — Eo igitur tempore quo Āqbā expugnatum est, quod est annus 894, legatus Persarum ad regem nostrum Romanorum mittebatur, et
5 de pace loqui inceperunt, et legatus amice dimissus est, et constitutum est ut mitteretur[1] [legatus Romanorum ad regem Persarum. ....

*(Cap. XXXVIII) *p. 341.

Hoc tempore cum legatus Romanorum ad regem Persarum
10 missus esset, stomacho multo eum intuitus est. Et multos Romanorum qui capti erant ante eum occidit, eumque contumelia magna dimisit.

(Capita XLI, XLII)

.... et
15 regnum Ṭayāye in quindecim principes divisum est, quorum pars magna Persis adhaeserunt; itaque regnum Ṭayāye christianorum ob causam doli Romanorum finem cepit et periit. Et haeresis inter Ṭayāye exoriri incepit[2].

(Capita XLV-XLIX)

20 Et stimulus rursus contra Romanos surrexit a populo barbarorum foedorum crines tortos gerentium qui vocantur Avares, qui a finibus orientis migraverant et exierant, itemque *a* populo praeterea occidentali Sclavinorum, et aliis praeterea qui vocantur Langobardi, qui etiam chagano regi Avarum su-
25 biecti erant. Et profecti urbes duas a Romanis expugnaverunt et cetera castra[3] et incolis dixerunt: « Abite serite et metite, et dimidium tantum tributi[4] a vobis sumemus ». Et, nisi quod rex fossam[5] magnam extra Hadrianopolim[6] fecit, ipsam etiam

[1] Cetera desunt. Voces quas hic addidi paene certe addendae sunt. Cetera de Mich., II, p. 361 etc. supplevi. — [2] Hic seq. lacuna in textu Mich., quae de Barh., *Chron. Syr.*, p. 89 fortasse suppleri potest, sed an haec Iohannis sint mihi dubium videtur. Quae sequuntur a Marquart, p. 482 seqq., germanice data sunt. — [3] κάστρας (sic). — [4] συντελεία. — [5] φόσσα. — [6] Text. ’drwplwws.

urbem regiam ultro petivissent. Et, cum rex et copiae eius
* p. 342. ob barbaros commoti ac territi essent, * exercitus missus est et ad murum[1] exteriorem qui sexaginta milibus passuum ab [urbe regia] *distat* collocatus; et coactus clericorum ecclesiae nonnullos conscripsit. Et ea concitatione scribones in omnes 5 partes tironum[2] deligendorum causa missi sunt; qui egressi mala multa perpetraverunt et patrum liberos abripuerunt, et regiones absumpserunt, dum canones[3] etiam equorum et taurorum et usque ad gallinarum etiam adhuc hominibus in omnibus regionibus imponunt. 10

Et, cum populus Sclavinorum passim diripuissent[4], et ministeria ecclesiarum et ciboria magna plaustris validis (?) abstulissent[5], *ita* ut ⌈rex eorum[5] *ciborium* ecclesiae[6] Corinthi vice tabernaculi fixum statuerit, et[5] sub eo sederet, Romani populum Antiorum[7] conduxerunt, qui in ⌈terram Sclavinorum[8], 15 inciderunt eamque expugnaverunt et praedati sunt, et opibus eius ablatis eam incenderunt. Regio autem propria eorum fluvii qui vocatur Dunabius ab occidente est. Cum autem Sclavini regionem suam direptam esse audivissent, ut leo ad praedam exacerbati et congregati multa milia vastationem infini- 20 tam fecerunt. Qui, cum urbem regiam intrare et expugnare non valuissent, Anchialum[9] versus urbem se verterunt et ad thermas versus quae ibi *sunt*, et multi eorum ab exercitu qui ibi *erat* trucidati sunt. Et tandem muro disiecto purpuras ibi invenerunt quas Anastasia uxor Tiberii, cum ad thermas iret, 25 ecclesiae loci oblatas donavit. Has chaganus adsumptas induit,
* p. 343. dicens: « Si vult rex Romanorum sive non vult, * regnum mihi datum est ». Et statim famae etiam eum terruerunt populum Turciorum[10] eum iam insequi; et Sirmium profecti sunt, cum timuissent ne eius ipsius familiam[11] et impedimenta eius 30 omnia diriperent; et cum octo centenaria auri ei misissent ab eo reversi sunt[12].

[1] Text 'initium'. — [2] τίρων. — [3] Sc. tributa. Vox impressa, quam cum Chabot correxi, nihili est. — [4] Vel 'captivos abduxissent', et ita infra, l. 19. — [5] Text. om. — [6] Text. 'ecclesiam'. — [7] Usitatius 'Antarum'. — [8] Text 'Sclavinos'. — [9] Text 'YMKWS. Ex indice correxi. — [10] Vide p. 233, n. 3. — [11] φαμιλία. Text. PWLW LYT; corr. Marquart. — [12] Aliter vertere nequeo, sed qui aurum miserint et ad quem et qui reversi sint et unde mihi non liquet.

Iohannem[1] episcopum comprehenderunt, qui annum unum Chalcedone catenis custodiebatur; et ipsi adversarii eum futura praedicere testabantur. Hunc persequi inceperunt ut communioni eorum se dederet. Is autem dixit: « Ut me solvatis 5 nolite vos vexare, et vobis etiam invitis die illo solvar ». Et eo die quem dixit obdormivit; et pompa magna sepultus est, dum partes ambae corpus eius sacrum efferunt, et orthodoxi[2] et Chalcedonii ab eo[3] benedictionem accipiunt.]

[1] Haec, quae de MICH., II, p. 336 exscripsi, mihi de appendice quadam ab amico Iohannis historiae eius adiuncta sumpta esse videntur. Quod putat Dyakonov (p. 164) ea Cyri batnensis esse vix credam. A Mich. loco quem p. 158 exscripsi subiuncta sunt, quocum temporis coniunctionem non habent. — [2] Vox syriace non graece scripta. — [3] Iohanne aut corpore. In textu impresso fem. est.

CORRIGENDA.

Pag. 4, n. 3, lege « 39 » pro « 38 »;

Pag. 10, n. 4, dele colon.

Pag. 17, l. 27, lege « quaestori » pro « quastori ».

Pag. 18, l. 6, lege « *ad* » pro « ad ».

Pag. 39, l. 26, lege « huic [2] *rei* » pro « *rei* huic [2] ».

Pag. 44, l. 23, lege « mercedem » pro « mercedam ».

Pag. 45, l. 31, 32, signum interrogationis post « intexta » inserendum est et post « infrà » delendum.

Pag. 47, l. 2, lege « annos » pro « menses ».

Pag. 85, n. 3, lege « XXXV » pro « XXXI ».

Pag. 86, l. 26, lege « LVI » pro « LV ».

Pag. 88, l. 16, post « notavimus » num. « 5 » delendus est et post « fecimus » (l. 19) inserendus.

Pag. 127, l. 5, lege « gavisi » pro « gravisi ».

Pag. 159, l. 4, ad « aurei » insere notam « MICHAEL, I, 8 ».

Pag. 163, l. 31, ad « praesens » insere n. « Hoc fortasse non tempus scribendi est, sed rerum narratarum (vide DYAKONOV, p. 317, n. 72) ».

Pag. 207, l. 15, lege « *id*que » pro « id*que* ».

Pag. 229, l. 20, ad « 880 » insere n. « Legendum fortasse « 888 » (vide DYAKONOV, p. 312) ».

INDEX TOMI III.

IOHANNIS EPHESINI HISTORIAE ECCLESIASTICAE PARS TERTIA

Imprimerie Orientaliste et Scientifique — Louvain [Belgique].